

650



JUDICIARIA
FORI
ECCLESIASTICI
PRAEPRAXIS,

SEU

DE MODO PROCEDENDI
IN JUDICIIS ECCLESIASTICIS

LIBER SINGULARIS
QUEM PROPRIIS ET

VOLENTIUM
USIBUS CONCINNAVIT



PETRUS BOD,

DE

F. TERNÁTON V. D. MINISTER MA-
GYAR IGÉNILNSIS. ANNO MDCCLVII.


H. G. L. A.



650

GIBINI,

173. Excudebat SAMUEL SARDI.




Seneca.

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt, multum adhuc restat operis; multumque restabit; nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio quid adhuc adjiciendi.

Processus extra formam Juris factus, est ipso jure nullus.

Optimus Legum Interpres consuetudo.

Lex sine executione est campana sine pistillo.



Gran.

J U D I C I U M

REVERENDISSIMI DOMINI
SUPERINTENDENTIS
DE HOC OPERE
DISTICHIS SEQUENTIBUS
EXPRESSUM.

Nonne meos nosti Mores, quod amem
venererque
Ut sine Lite Forum, sic sine Lite,
Librum?

Cur igitur Librum mittis mihi Lite scatentem?

Cui magis est cordi Pacis oliva sacræ.

An cupis, ut Veteranus ego nova Jurgia discam
Subductam Ferulæ subjiciamque manum?

Non puto. Queis meliore luto præcordia,
finxit
Conditor, haud illos talia vota decent.

An petis? Hoc certè petis, ardescisque petendo.
Ut splendorem operi det mea Lima Tuo

Sed Decor & Splendor, cognato Federe juncti
Usque adeo Librum perpoliére Tuum:

Ut cessare, Tuo nec debeat addere quidquam
Jam mea, quæ non est Dædala, Lima
Libro.

*Scribebam Claudiopoli Anno Ær. Christi
M DCCLXIV. Die IV. ante Idus
Decembres.*

GEORGIUS VERESTOI
*Ecclesiarum in Transilvania
Reformatarum Superintendens.*

LECTO.



*Lectori Benevolo ac Justitiam
Amanti S.*

JUDICIARIUS apud Hungaros
Majores nostros Processus, qua-
lis inde ab initio suscepti Chri-
stianissimi ad tempora usque Caroli Primi
Regis Hung. per aliquot sæcula fuerit, non
est satis clara in luce positum. Brevem fuisse
affatim prorsus arguit S. Ladislai Regis
constitutio. *Si quis Judicium distulerit litigia
ultra triginta dies, vapuletur.* Severum quo-
que; ejusdem ordinatio; Judex enim falsi ju-
dicii convictus, *judicatum in duplo restituere,
& insuper quinque pensas i. e. fh. duos per-
solvere necesse habuit* a) Judicium Ferri
§ 3 can-

a) Lib. III. Cap. 24. 25.



candentis & Aquæ Ferventis, Sacramentum item jurisjurandi super Sepulcrum S. Regis Ladislai diu in usu fuit. *b)* De quo ita Illustris Patriæ Historicus: *Fuit, ut unum ex multis addam, apud Gentem Hungaricam investigandæ veritatis inter partes controversas ratio talis, quod Litigantes de quocunque factò per Comites & Pristaldos, qui fuerunt olim executores in Capitulis, in capitula ad examen ferri candentis mittebantur, quod alterutra pars ceremoniis præmissis, levando, si comburebatur, rea pronunciabatur, sicut illa, quæ portavit ferrum justificata. Erat & alia Ferventis Aquæ probatio ad similem dirimendarum controversiarum usum, adhibita. Sacramentum item jurisjurandi super Sepulcrum S. Regis Ladislai, coram Capitulo Varadiensi præstari solitum. Ceterum eo Ritu Probationis usi fuerunt Hungari per annos 340. ab anno scilicet 969. a nativitate S. Regis Stephani, usque annum 1309. quò Carolus est*

(b) *Exstat liber cum titulo: Ritus explorandæ veritatis, seu Judicium. Ferri candentis, quo in dirimendis controversiis Gens Hungara olim utebatur. Kolosv. 1550. recusus Pofonii 1735. Cujus Judicii originem alii ex gentili veterum Scytharum consuetudine, alii ex lege Mosis Numer. V. 12. repetunt. Belii Notitia Hung. Novæ pag. 570.*

est coronatus, qui abolita hac ceremonia DEO
 inuisa, Processum judicarium, & usum Proces-
 suum, in causis inchoandis, prosequendis, discu-
 tiendis & terminandis ex Galliae Regno in Hun-
 gariam induxit, tam salutari successu, ut in hunc
 usque diem observetur. c) Idem iisdem fere
 verbis jam adfirmaverat Verbötzius d) Alii
 volunt Carolum introduxisse judicarios tan-
 tum quosdam terminos, veluti, *Citatio, Pro-*
clamatio, Levata, Exmissio &c. quales *Termini*
judicarii sunt velut totidem gradus, qui-
 bus ascenditur in Palatium veritatis, dum ad
 litis decisionem proceditur,

Introductam a magnanimo, justis æqui-
 que observantissimo Principe Carolo Juris
 formam, continua sua Praxi Hungari confir-
 marunt. *Stephanus* verò *Verbötzius* Hunga-
 rorum *Cujacius* in Codicem a *Wladislao* ad-
 probatum retulit: quò in controversiis diju-
 dicandis & litibus dirimendis etiamnum Hun-
 garia ac Transilvania utitur. Ab anno 1540.
 Transilvania se a regimine Hungariæ subtra-
 xit per independentes gubernata Regentes.

§ 4

Hinc

(c) C. Petrus de Reva in Vita Caroli I. de Monar-
 chia & S. Corona R. Hung. Centur. IV. pag.
 641.


(d) Trip. II. Tit. VI. §. 12.)

Hinc e Diærarum Articulis & factis pro re nata constitutionibus enatæ sunt Leges Transilvaniæ in *Adprobatis & Compilatis constitutionibus* comprehensæ, nonnihil subinde discriminis a Tripartito in se habentes.

Legum quibus utitur Hungaria & Transilvania, uti & omnium Gentium, fons est naturalis Æquitas remotior; sed proximus Jus Civile Romanum; cujus ad formam fuit quoque enarum Jus Pontificium seu Canonicum, ex Patrum sententiis, Pontificum Rescriptis ac Conciliorum Canonibus collectum; quò Romana Ecclesia utitur.

In Iudiciariis Protestantium Foris non pauca e Jure Canonico sunt retenta Processus tamen ecclesiasticus in quacunque Gente legibus civilibus earum exercitio ac formulis accommodatur. Ecclesia enim Dei ex institutione Salvatoris Nostri non est civitas in civitate, Respublica in Republica, Status in statu, Regnum in Regno. *a*) sed innexa statui politico & civitari, cujus legibus cives ecclesiastici vitam civilem accommodare necesse habent, prouti & Iurium Processus. Adserit hoc ipsum Kittonitius: Multa jam inquit, *de Foro seculari translata*

(a) Videatur Puffendorf de habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem §. XXX.



lata esse dignoscuntur ad hoc Forum Ecclesiasticum, quæ pariter jam utrique communia esse videntur. In quibus tamdiu solemus nos Legibus Regni firmare, quamdiu eas nobis, ac causis nostris suffragari viderimus; ast ubi iis destituti fuerimus, illico ad Sanctiones Canonicas confugium capere cogimur, quæ longè ampliores sunt, & latius se se extendunt. b)

Ita est in aliis Nationibus ac Ecclesiis Protestantium; ita in nostra Gente ac Ecclesiis Reformatis. Abundant aliæ Nationes Libris, unde Tyrones Principia Juris & Modum in Judicio disceptandi hauriant. Nos omnibus ferè destituimur Manualibus; quibus imbecilitatem fulcire valeamus & crassas ignorantiaë tenebras dispellamus, versandum tamen est in judicii sæpius difficillimis & implicatis, quæ acuti subinde Legulegi perplexiora reddere solent. Unde necessitas & propria imbecilitatis conscientia eo impulit, ut studiosè conquisitis, qui in hunc finem haberi poterant libris *PROPRIIS & VOLENTIUM USIBUS* Juridicum hocce Directorium, rudi, neque enim secus fieri potuit, penicillò delinearem, De quo velim ut observes (1. Non tam Jus, quam Juris formam, seu Methodum procedendi hic exhiberi. (2. Modus procedendi in Judicio, seu

(b) Cap. XII. Q. 12. Art. XXV. 1552. Art. XL. 1559.

seu Processus accommodatur plerumque formæ Juris civilis in sedriis quoque ecclesiasticis jam receptæ. (3. Auctores, quos in hoc opusculo laudavi ac secutus sum sunt sequentes.

Stephani Verbötzi Opus Tripartitum Juris Consuetudinarii Regni Hungariæ.

Decreta Regum Hungariæ, ac vel maximè utilissimus Index corporis Juris Hungarici.


Adprobata & Compilata Constitutiones Regni Transylvaniæ & Partium eidem annexarum.

Joannis Kittonitsii Directio methodica Processus judiciarii Juris consuetudinarii incliti Regni Hungariæ.

Fusti Heningii Böhmeri Institutiones Juris Canonici tum Ecclesiastici, tum Pontificii ad Methodum Decretalium, nec non ad Fora Catholicorum atque Protestantium compositæ Halæ 1741- 8.

- - Ejusdem *Jus Ecclesiasticum Protestantium*, usum hodiernum Juris Canonici juxta seriem Decretalium ostendens Halæ 1756. 4. Tomis sex.

Anacleti Reiffenstuel Jus Canonicum universum, clara methodo juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum, solidisque Responsionibus & objectionum Solutionibus dilucidatum Maceratæ 1746. fol. 6. Tomis.



Joannis Brunnemanni de Jure Ecclesiastico Tractatus Posthumus in usum Ecclesiarum Evangelicarum & Consistoriorum concinnatus cum Notis S. Strychii Franchf. 1681. 4.

Andreæ Hussti Jurisprudencia Hungarico-Transilvanica, Cibin. 1742. 4.

Stephani Hussti Jurisprudencia Practica, seu Commentarius Novus in Jus Hungaricum compositus. Budæ 1745. 4.

Joannis Szegedi Tripartitum Juris Ungarici Tyrocinium juxta ordinem Titulorum operis Tripartiti sacris Canonibus accommodatum. Tyrnav 1735. 8.

Michaelis Váró Idea Actionum Juridicarum in maximam Tyronum utilitatem concinnata Claudiopoli 1745. 8.

Syntagma Juris Ungarici complectens una peculiares Principatus Transilvaniæ leges in usum cum primis Tyronum Juris Patrii collectum & excusum Claudiopoli 1745. 12.

Regulæ Juris Canonici tum per solidas Quæstiones tum per eruditos Casus ex ipsis Regularum visceribus peraptè resolutos explicatæ. Tyrnaviæ. 1741. 8.

Sunt & alii Auctores non pauci, quos in opusculo hocce concinnando subinde consului; hi tamen præcipui sunt, quos in perplexis ac intricatis Quæstionibus viæ duces adhibui, ne

in avia deerrarem: adhibitis etiam iis, quæ propria inde ab initio sacri Ministerii; experientia observavi.

Nec est quod Scrupulosus objiciat mihi Lector, aut *citationem* Juris Canonici, vel etiam Patrii ab ordinaria & operosa illa deflectentem? brevitati enim litare volui. Aut *Libri Titulum* Tractatum non exhaurientem; qui civilia ecclesiasticis plurima misceat? Ecclesia enim intra Regionis limites subsistens, ejus se Legibus plerisque accommodare necessè habet. Quid etiam Patriæ Jura nosse Ecclesiasticis officit? Dictum fuit olim: *Bonus Jurista malus Christianus*, quando sub juris & justitiæ colore hæreditates occupabantur. Jam Pietati non officit Jurisprudentia. Atque utinam e viris Doctioribus ac Polioribus aliquis Jurisprudentiam Ecclesiasticam. Nostrarum Ecclesiarum statui, adprobatis jam olim Canonibus, antiquæ consuetudini, ac Praxi continuæ conformem, in publicam proferret lucem ne paucis illis, iisque sæpè jejunis inhærescendum esset Canonibus. Interim tu his, dum limatiora edideris, stylumque in Judiciis consuetum aliquis collegerit, atque ediderit, si libet, ERRATIS primùm ex Indice deterfis, utere Mecum

Vale,

JUDI-



JUDICIARIA
FORI ECCLESIASTICI.
PRAXIS.

TITULUS PRIMUS
DE FORO ECCLESIASTICO.

I.

Q. Forum unde dicitur?



A

Græca voce PHOROS PHERO atque ita à ferendo; quoniam non solum Res venales, sed & controversæ in publicum deferebantur locum. Hæ à Judicibus componendæ, illæ verò ab Emptoribus adpropriandæ. Forum in neutro, & Forus in masculino genere, apud Canonistas ita distinguuntur, ut Forus accipitur pro exercendarum Litium loco, seu tribunali. Forum verò pro districtu seu territorio cujusque Judicis, intra quod jus dicendi potestate gaudet. (a)

A

2. Quid

(a) Reiffenstuel Tom. II. Tit. II. pag. 23.

2. *Quid est Forum?*

Est locus ubi jus dicitur. Seu, Legitima exercendarum Litium Sedes. Diciturque Sedes Judiciaria, vel Sedria quoniam non stando, verum *Sedendo* sententiæ feruntur.

3. *An detur Forum Ecclesiasticum?*

Datur, ubi Judex ecclesiasticus jus dicit. Personæ enim ecclesiasticæ, uti & causæ Forum peculiare fortiuntur: ubi ecclesiastica exercetur *Jurisdictio*. Jurisdictio verò ea, est legitima causas cognoscendi judicandi ac exequendi potestas. Differt a *jure privatæ animadversionis*, ita Dominus in Servos, Pater in Filios, Maritus in Uxorem, Magister in Discipulos jurisdictionem non habent; sed jus tantum privatæ animadversionis & disciplinæ domesticæ.

4. *Quotuplex est Forum?*

Est *competens* vel *incompetens*. Competens est tribunal, cujus jurisdictioni Reus subicitur. Seu, diem coram judice competente, id est, qui in personam conventam & causam litigiosam jurisdictione præditus est, Reus convenitur. Aliàs objecta exceptione incompetentis Fori, causa condescendit. (b)

5. *Quid hic agendum?*

Actor & Judex ante omnia discernere debent, an persona contra quam, & causa super qua judicium institui volunt, subjecta sit indicis jurisdictioni. *Extra territorium enim jus dicenti, impune non daretur.*

6. *Judi-*

(b) Steph. Husii Lib. I. Tit. XIX. §. 2.

6. *Judicis jurisdictioni delinquens, quot modis subjicitur, seu Forum sortitur?*

Variis modis. *Primò.* Ratione Personæ, ita Personæ Spirituales, five ecclesiasticæ per ecclesiasticum Magistratum judicantur, præter casus quosdam. *Trip. II. Tit. XLIV. Tyrocinium Juris ad h. t. Secundò.* Ratione Domicilii, seu Residentiæ. Omnis Judex populos sui castri tantum, id est, Parochiæ suæ judicare potest. *Andr. II. 5. & 1655. Art. 46. Domicilium* definitur, quod sit habitatio in aliquo loco actualiter certa, cum animo & proposito ibidem manendi. *Quasi domicilium* per aliquod tempus alicubi manendi, uti negotiatores, Famuli, Studiosi, Milites &c. Uxor sequitur Domicilium & Forum Mariti, cujus radiis coruscat. Ita Uxor Professoris coram Magistratu Academico, Pastoris in Synodo dijudicatur.

Tertiò Ratione delicti; namque delinquens sortitur Forum illius loci, ubi crimen perpetravit. *Trip. III. Tit. XX. & XXXII.* Forum delicti tripliciter consideratur: ubi delictum quis inchoavit, ubi perfecit, ubi delinquens deprehenditur. (c)

Quartò. Ratione deprehensionis, Delinquens deprehensus Foro reperientis Judicis subjicitur. (d)

Quintò. Ratione contractûs, Forum ibi quisque sortitur, ubi daturum facturumque se promittit. (e)

Sextò. Ratione Causæ, sic crimen læsæ Majestatis judicat Rex. *Art. VII. 1715.*

A 2

Septi-

(c) *And. Hufsti Tit. XXVIII. §. 267. (d) Idem ll. cc.*(e) *Idem Art. XXVIII. 1715. Art. XXXI. 1723.*

Septimò. Ratione Privilegii, dum Reus ab ordinaria jurisdictione Privilegio exemptus est. Ita Studiosi, Mercatores, Metallurgi, Nautæ, quandoque proprios habent Judices. *Andr. Hufsti Tit. XXVIII. §. 271.*

Octavò. Ratione Fori ab alio præventi. Processus prævenientis filere facit processum præventi. Vocatur aliàs *Forum Continentiæ causarum*, si causæ sint ita connexæ, ut commodè separari nequeant. *And. Hufsti §. 269. Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XIX. §. 2.*

7. *Quod est Forum incompetentis?*

Cujus jurisdictioni Reus non subest. Unde coram Judice ratione Fori incompetente causam movere nihil aliud est, quam litigare coram homine privato, qui jus dicendi potestatem non habet. Hoc enim in casu Reo competit *Exceptio incompetentis Fori*. Quæ fieri potest. (1. Ubi Judex super Reum jurisdictionem non habet. (2. Ubi quis provocat ad Judicium Supremum neglectò beneficiò primæ instantiæ. (3. Ubi quis provocat ad Judicem extra territorium suum constitutum. (f)

8. *Quomodo distingvitur Causarum Ecclesiasticarum Sedes Judiciaria?*

In inferiorem & superiorem. Inferior est Synodus Diœcesana, seu Particularis, cui præsidet Senior Diœceseos, habens secum Notarium cum Adfessoribus, vulgatò nomine dicitur *Partialis*. Controversiæ in hac Synodo agitatæ ac decisiæ si appellentur ad Consistorium commune, cum tota ferie transmitti debent. Ter quovis anno tales Synodi

nodi Particulares celebrari secundum Canonem possunt. Extraordinariè tamen quoties necessitas exigit. Quousque Potestas hujus Synodi extendatur in Canone Ecclesiastico LXXXIX declaratur.

9. *Quæ est Sedes Superior?*

Provincialis seu Generalis Synodus, quæ dicitur etiam commune Consistorium. Quoniam ibi omnium in Transilvania Diœcesium Seniores cum suis Notariis ac singulis Adfessoribus, ita etiam duo supremi Consistorii Deputati, Illustres Viri Seculares, sunt præsentés.

Præsidet Superintendens, adest Generalis Synodi Scriba, Adfessores sunt Diœcesium Seniores cum Notariis ac Adfessoribus. (g) Potestas Synodi hujus explicatur *Canone XCIII*. Peremptoriè hic deciduntur terminanturque causæ. Nec enim hinc ad superiorem Sedem, nisi forsân ad Synodum Nationalem, si lis sit de Religione, aut Ritibus publicis appellare licet. Evenit tamen, ut in quibusdam casibus Illustre Supremum Consistorium rem judicatam sibi repræsentari ad Revisionem juserit, ac post revisionem Sententiam extradari.

Quod tamen rarò & extraordinariè factum est. Mandator quoque Regio Causæ Matrimoniales aliquando ad Aulam Regiam transmitti jussæ sunt ad Supremam Decisionem, velut Supremum Protestantium in talibus causis Judicem, prouti Stilus formari solet.

10. *Nonne datur alius locus iudicii, seu
Sedes Iudiciaria?*

Imò vero datur, Illustre ac Supremum Reformatorem Politico - Ecclesiasticum in Transilvania Consistorium. Quod ab initio Reformationis constitutum ex Magnatibus Politicis, ac Ecclesiasticis primariis semper equidem existit; post fata tandem Principum Reformatorem, Religionem eorum protegentium anno 1709. ex præcipuis Reformatæ Ecclesiæ Membriis Politicis atque Ecclesiasticis consensu ejusdem Ecclesiæ restauratum, atque post pacem in Provincia restitutam anno 1713 confirmatum. *Præses* Consistorii est unus e Supremis Ecclesiarum & Scholarum Curatoribus. *Commembra* seu *Adseffores* Proceres, Prænobiles, Nobiles Reformatæ Religioni addicti. Item v. d. Ministri fidelissimi, pietate, prudentiâ, rerum gerendarum activitate & morum integritate noti: eximii Collegiorum Professores, venerandi Diœcesium Seniores, eorumque Notarii. *Notarius* Consistorii est Secularis perpetuus. *Autoritas* plenaria ac indisputabilis, ut quicquid coram hoc tribunali determinatum fuerit, etiam in effectum deducere possit. Determinationi hujus se obstinatè opponens persona ecclesiastica secundum Canones punitur, politica vero excommunicatur.

11. *Quæ causæ tractantur in Foro
Ecclesiastico?*

Judicantur ibidem (1) Personæ Ecclesiasticæ, earumque personales Actiones. Jurisdictioni enim Civili Ecclesiastici subjecti non sunt.

Si igitur Verbi Divini Minister aut alia Persona Ecclesiastica deliquerit, de injuriis vel violentiis alteri illatis, nemini nisi Superioribus suis rationem reddere tenetur.

(2) Si de rebus immobilibus, vel de jure possessionario, aut negotiis ex iis emergentibus conveniantur Ecclesiastici, judicantur in Foro Seculari, tanquam Foro Rei suæ. (a) Nisi eadem Bona inter Ecclesiastica numerentur.

(3) Si ob res mobiles convertantur, Competens Forum est Ecclesiasticum. Ubi enim Persona conveniri potest, ibi & de his agendum. *Accessorium enim sequitur suum Principale.*

(4) Si Personam Ecclesiasticam, ejus Uxorem, atque Liberos nondum emancipatos, seu Ecclesiasticus, seu Secularis jure prosequatur, ad Tribunal seculare trahi non potest. Nam veluti Judex in simili Causa judicandi potestate destituitur, & Judicis factum, quod ad ejus Officium non pertinet, ratum non est, ita Actor suo jure cadet.

(5) Si verò agat Ecclesiasticus contra Secularem debet Forum Civile sequi. Verum prout Ecclesiasticus in Foro Civili ad agendum non admittitur, nisi prius sufficientem cautionem pro Litium expensis præstiterit; ita neque Secularis Persona contra Ecclesiasticam potest litigare in Foro Ecclesiastico, nisi idonea cautione de Judicato solvendo integram reliquerit executionis Facultatem.

(b) Observari hic debet: Ecclesiasticum in præ-

A 4

judi-

(a) Trip. P. I. Tit. XII.

(b) Appr. Const. P. V. Ediçt. 46. Comp. Const. P. I. Tit. I. art. 9.

judicium Ordinis Ecclesiastici Foro suo Privilegiato, Ecclesiastico, renunciare non posse.

(6) Matrimoniales causæ in tantum pertinent ad Forum Ecclesiasticum; quatenus de ineundo vel solvendo agitur Matrimonio. Jus verò Successionis & Hæreditatis inter Conjuges & Liberos decernit Forum Civile.

12. *Unde dijudicantur Causæ in Foro Ecclesiastico?*

Ex Legibus Divinis in Scriptura Sacra contentis. De iis verò Casibus, quibus nihil disponit sacer Textus, fit recursus (1) ad Canones Ecclesiasticos a Principibus olim adprobatos. (2) Ad Leges Patrias, veluti Decretum Tripartitum, Adprobatas & Compilatas Regni Constitutiones. *Trip. I. Tit. 6. Approb. Const. Part. I. Tit. I. art. 3.* (3) Ad Regum, Principum Decreta, Resolutiones & Articulos Diætales. (4) Ad Constitutiones Synodales & Statuta Consistorii. (5) Ad Jus Canonicum, & Civile Romanum. (6) Ad Consuetudines Rationabiles, Legibus non contrarias, sed tacito Principum Consensu Legis rigorem induentes *Trip. I. Tit. X.* (7) Ad Jus Naturæ & dictamen Conscientiæ, cujus decisio in omni Causa Ecclesiastica multum valet. De omnibus enim Casibus Leges ferre superat Sapientiam Legislatoris; at verò in Causis, quarum similis est ratio, Jus conformiter dici potest.

Regulæ Juris & Axiomata.

1. Ubi de alio Foro non adparet, intelligitur quis habere Forum.

2. Præ-

2. Prætoris est existimare an sua sit Jurisdictio : Vocati non contemnere auctoritatem Prætoris.
3. Incolas Domicilium facit.
4. Lex justa in Foro externo , est etiam justa in Foro interno.
5. Uxor sequitur Forum Mariti , cujus radiis coruscat.
6. Vagus ubique Forum sortitur.
7. Ubi te invenio , ibi judico.



TITULUS SECUNDUS.

DE PERSONIS IN JUDICIO REQUISITIS.

13. *Quæ sunt Objecta Juris?*

Præter *Res*, super quibus, & *Actiones* per quas Jus dicitur, objecta Juris sunt *Personæ*, seu homines rationis dolique capaces. *Circumstantiæ* Juris sunt, *Tempus*, *Locus*, *Instrumenta*. Forum *Judicarium* & *Judices*. *Forma* externa est methodus procedendi *Lege* & *Consuetudine* recepta, interna sunt ipsæ *Leges*, secundum quas *Jura* administrantur. *Finis*, qui per Jus intenditur est *Justitia* & *Salus Reipublicæ*. *Effectus*, quod obliget sibi *Subjectos*. (a)

A 5

14. Quo-


(a) *Steph. Hussti Lib. I Tit. VIII. §. 1. 2.*

14. *Quotuplices sunt Personæ?*

Duplices, Principales & Accessoriæ. Principales sunt ordinariè in *Judicio Judex, Actor, Reus* Prol. Tit. XIII. Seu, dicamus Personam triplicem requiri, cum illa nomina non sint Personalia, sed Officia eorum exprimant. Ordo potest, hic observari ut *Actor* præcedat, *Reus* sequatur, & *Judex* concludat. Videatur *Andr. Husii §. CCLXXXII.* His accensentur *Actori* Ingerens, *Reo* verò Evictor.

15. *Quæ sunt Personæ Accessoriæ?*

Minus Principales, seu Accessoriæ Personæ sunt, Plenipotentarii, Procuratores, & Testes, De quibus ordine agemus.



TITULUS TERTIUS.
DE ACTORE.

16. *Actor unde dicitur?*

AB *agendo*, qui Actionem proponit & partem adversam ad *Judicium* provocat.

Legitimus est *Actor* cui *Actoratus* competit.

Est autem *Actoratus* Jus acquirendi ab altero id quod judicialiter consequi nititur. Qui Jure hoc destituitur opposita Exceptione ex defectu *Actoratus* *Causa* ejus condescendit. *Steph. Husii Lib. I. Tit. XXI.*

16. *Competentia Actoratus, seu Jus acquirendi in quo consistit?*

Principaliter consistit in tribus, in Jure, Ætate, & Conditione.

Primò. In Jure, cum res actioni substrata aut Potestas litigandi spectat ad Actorem.

Quæ Potestas & Jus dupliciter consideratur.

1. *Propriè*, cum res aut potestas, tanquam nobis propria, plenè & directè ad nos pertinet.

2. *Repræsentatione Juris*, cum res aut potestas respiceret pupillum, amentem, cõmmunitatem, sed ejus possidendi, tuendi & recuperandi cura ad nos est translata. *S. Hussti Lib. I. Tit. XXI. §. 2.*

Secundò. Ætate, ut in Judicio agere volens sit legitimæ ætatis *Trip. I. Tit. CXI. CXXIX.* Quare Pupilli propria in persona agere non possunt.

Tertiò. Conditione ut habeat Actor conditionem Lege requisitam. Ex cujus defectu agere non potest. Ita (1) Ignobilis contra Nobilem Jure Civili agere non potest. *Trip. III. Tit. XXXI.*

(2) Filius sub Patris, & Nepos sub Avi potestate constitutus ratione Bonorum cujuscunque sit ætatis. *Tripart. I. Tit. LI.* Excipitur legitimæ ætatis.

a) Si agat in Causa Spirituali.

b) Si agat ratione priorum acquisitorum
Trip. I. Tit. LI.

c) Si agat in Criminalibus. v. g. ratione adulterii contra Conjugem. *Trip. I. Tit. CV.*

d) Si jam majorennis agat ex Officio. v. g. quà Judex.

e) Si agat contra Patrem ad Bonorum divisionem. *Trip. I. Tit. LIII. LIV.*

f) Si

f) Si agat in casu personali, v. g. Verberationis, vulnerationis sui.

(3) Repellitur ab Actoratu Religiosus sine consensu Superioris, ratione non personalium, nisi sit Administrator; quia id competit communitatum Superioribus *Trip. II. Tit. XLIX.*

(4) Excommunicatus, neque reconciliatus, in Causa excommunicationi non connexa, regulariter agere non permittitur, Permittitur tamen agere *extraordinariè.*

(a) In Causa suæ excommunicationis, si probare velit sententiam esse nullã, vel appellet.

(b) In Causa Matrimoniali, vel Salutis Animæ ipsius.

(c) Si sit periculum in mora, ne v. g. Debitor aufugiat.

(d) Si habeat Jus ad aliquod Beneficium, de quo in alium transferendo agitur.

(e) Universim, quando Actor est necessarius.

Hæc in Canonibus. Alias excommunicatus virtutæ latæ sententiæ excommunicatoriæ pro infami habetur: infames verò Jure Civili & Canonico ob amissum Honorem Actores esse non possunt. *Trip. II. Tit. XXIX. XXX.*

(5) Furiosi ac mente capti ob rationis carentiam quia perpetuæ tutelæ subjecti sunt. *Trip. I. Tit. LV.*

(6) Filiæ innuptæ ob Ingenii levitatem. *Trip. I. Tit. CXII.*

Possunt tamen agere

a) In Personali Injuria, si sint legitimæ ætatis.

b) Si ad Repudium in Sponsalibus procedant. a)

17. Po-

a) Vide uberius apud Steph. Hufsti L. I. Tit. XXI. §. 2^a 3.

17. *Potestne aliquis cogi ad Actionem
Instituendam?*

Nemo, nisi ad Actionem sit obligatus.

Obligatur verò

(1) Si semel Actionem proposuit eam prosequi Incatto urgente: in cujus Potestate est Causam per A. desertam prosequi, & per Sententiam definitivam petere, ut absolvatur ab impetitione Actoris cum refusione expensarum indebitè sibi causatarum.

(2) Hæres Jure Naturali obligatur vindicare necem Parentis.

(3) Omnes, qui ratione Officii pro aliis agere tenentur ut Magistratus ex Ratione boni Publici.

(4) Ex Lege diffamationis. *And. Hussti §. CCXC.*

18. *Potestne Actio institui quacunque
ide Causa?*

Minimè. Verùm Actor debet habere justam agendi Causam. *Art. XXIII. 1613. Art. XXIII. 1647.* Alioqui temerè alios vexantes convincuntur in pœna indebitæ. Quia Judicia non sunt instituta, ut in iis alii temerè vexentur, sed ut Jus suum cuiquè tribuatur. *A. Hussti §. CCLXXXV.*

19. *Probatio cui incumbit?*

Regulariter proba Actionis, Actori incumbit. Qui si in Judicio non comparuerit, aut non probaverit, Reus absolvitur. *Trip. II. Tit. XX. XXXII. LXXXVI.* Sed Actori Novum cum Gratia indulgetur. *Kitt. Cap. X. Q. 28.* At vero in Casibus occultis non simpliciter absolvitur Reus; sed depositò Juramentò. *Art. XXVII. 1729. A. Hussti §. CCLXXXVI. S. Hussti L. I. T. XXI. §. 4. 5.*

20. *An Actor personaliter in Judicio comparere & propria in Persona agere teneatur?*

Non tenetur: quia potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. Regula Juris 68.

Excipitur.

1. In Causa Criminali ad pœnam Capitis, vel mutilationem Membrorum tendente. *Art. XXVI.*

1741. *cum Art. VII. 1715.*

2. In Casu dicendæ Veritatis.

3. In Casu præstandi Juramenti. *Art. XXVII.*

1729.

4. In Causa Matrimoniali in Principio, & cum definitivam Sententiam audire tenetur.

21. *Quid si Actor justa sua in Causa minis aliisve modis impediatur?*

Impedire satagens comperta rei veritate incurrit in pœnam ducentorum florenorum. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. Art. 4.*

Regulæ & Axiomata.

(1) Agere non possunt, qui se obligare nequeunt.

(2) *Actor debet sequi Forum Rei.* Secus enim intentio ejus elidi posset Exceptione Judicis incompetentis, tam ratione Materiæ *Trip. III. Tit. IX.* quam ratione Personæ *Trip. III. Tit. XXV. II. Tit. XLIV.*

3. *Actor debet esse semper paratus.* *Trip. II. Tit. LXXXIV.* Improvide enim Litem intentans expensarum periculum subire cogitur.

(4) Proba Actionis regulariter Actori incumbit.

(5) Adfirmantis est probare. *Trip. II. Tit. LXXXII.*

(6) A-

(6) Actore in Judicio non comparente aut non probante, Reus absolvitur. *Trip. II. Tit. LXXXVI.*

(7) Actori non licet, quod Reo non permittitur. Tantundem licet Reo, quantū permittitur Actori.

(8) *Actor & Judex nemo in eadem Causa esse potest.* Sub pœna homagii *Trip. II. Tit. XXII.* Ita enim Sententiam benignam sibi dictaret, & Judicium perverteret.

(9) Actor & Reus in eadem Causa nemo esse potest. *Procl. Tit. XIII.*

(10) *Invitus agere nemo cogitur.* Id est, Litem inchoare, sed post Litem motam tenetur.



TITULUS QUARTUS. DE INGERENTE.

22. Unde dicitur Ingerens ?

AB *ingerendo*, quod in Causam alterius, quis ingerat; seque eò modò Actorem efficiat. *Trip. II. Tit. LXXXIV.* Est autem Ingressio alicujus vel aliquorum in Causam ab altero motam in Judicio actuali, seu allegativè, seu in scriptis facta immissio. *Kitt. Cap. VII. Q. 20.*

23. Quis potest esse Ingerens ?

Omnis, qui legitimam in Judicio standi Personam habet, adeoque Actor esse potest. Debet probare statim Genealogiam, & de expensis in Litem factis Principali Actori satisfacere.

24. Quan-

24. Quando debet Ingressio fieri?

In Judicio ante latam Definitivam Sententiam. Quod si A. cum I. Concordiam in eundo, aut Causam deponendo Liti cesserit, *Ingressio* corrui, nec amplius I. ad Objecta *Ingerentis* respondere tenetur. Via tamen non præcluditur *Ingerenti*, quin semet Actorem efficiat, & Speciali Processu contra Inctum suum Jus prosequatur. *Vide uberius in Syntagm. Juris Ungr. Titul. IX. p. 259. Steph. Husii Lib. I. Tit. XXII.*



TITULUS QUINTUS.

DE REO, sive INCATTO.

25. Reus unde dicitur?

Non à reatu, sed à *Re*, quæ controvertitur. Est vero ea Persona, à quæ Actor. in Judicio Rem vel aliquid dari fierive petit. Dicitur alias I. Inctus, Incattus, i. e. in Causam attractus.

26. Quis potest esse Reus?

Reus prouti Actor omnis & solus ille esse potest, qui legitimam in Judicio standi Personam habet. Æquitas enim Naturalis postulat, ut cuius liceat suum tueri. Non habet legitimam in Judicio standi Personam (1). Pupillus sub Tutela existens. *Trip. I. Tit. CCXVI.*

2). Fi-

2. Filius in Patria potestate existens *Trip. I. Tit. LI.*

3. Furiosus cujuscunque ætatis *Trip. I. Tit. LV.*

4. Filiæ legitimæ ætatis in capillis existentes. *Trip. I. Tit. CXII.*

5. Religiosus sine consensu Superioris *Excommunicatus*, vel qualitercunque infamis, licet activè agere non possit; potest tamen passivè per Procuratorem *Trip. II. Tit. XXX.*

Mutus & surdus intellectum habens & contractum inire valens in jure stare potest. *And. Husii §. CCXCIII. S. Husii Lib. I. Tit. XXII. §. 4.*

27. *Reus Legitimè citatus & vocatus an in judicio comparere teneatur?*

Tenetur vel in propria persona vel per Procuratorem. In Propria persona in causis criminalibus, i. e. in omnibus causis, quæ ad caput tendunt. *Kitt. Cap. VI. Q. 30.* Aliàs contumax punitur: præterea in eum sententia fertur, ac executioni mandatur. *A. Husii §. CCXCV.*

Differt *personaliter in judicio comparere*, quod fieri potest, per Procuratores & Plenipotentiariorum, etiamsi personaliter in judicio præsens non sit. *Et personaliter in judicio adstare*, quod significat, per semet in propria persona in ipso judicii accessu adesse, inchoationem litis audire sub allegationis tempore; dein sufficit, si in loco judicii, i. e. civitate, oppido, possessione, ubi judicium celebratur adfit, finalem sententiam tamen in propria persona præsens exaudire tenetur. *Art. 38. 1563. Art. 32. 1723. Ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio. St. Husii Lib. I. Tit. XXIII. §. 5.*

28. *An Reus ad Actionem Actoris respondere teneatur?*

Tenetur respondere art. XXXIV. 1439 secus ut contumax & judiciariæ autoritati resistens non defendendo vincitur in totali acquisitione Actoris. *Ulad. II. XII. Quia qui tacet consentire videtur.*

29. *Reus quomodo se defendere potest?*

Responsio potest esse *Exceptiva*, vel *Meritoria*. Fit autem tripliciter. 1. *Adfirmando*. atque ita vincitur *Trip. II: Tit. LXXXII.*

2 *Negando*, ita Actor probare tenetur actionem.

3. *Distinguendo*, vel *qualificando*, ita rationem dare & probare tenetur, Actoremque in tantum a proba Actionis liberat.

30. *Quid hic notare debes?*

Regulam hanc: *Partes & Judices Sphæra Actionis regulet.* i. e. Nec Judex judicare potest, nec Reus respondere tenetur, nec Actor acquirere & agere valet de eis, quæ in actionem relata non sunt. Quia nemo non citatus respondere tenetur in judicio *Trip. II. Tit. IX.* atqui Reus citatur ut respondeat ad Actionem; ergò de non actionatis, seu in actionem non relatis, non est citatus.

Propria oris confessio judicialiter facta

Revocari non potest *Ulad. Art. 5. 15.* solaque sufficit ad Rei convictionem, probat enim tam eminenter, ut mille testibus comparetur. *Confessio* verò coram iudice *extra judicialiter* facta ac

in iudicio revocata, servit quidem pro circumstantia adgravante, sed pro Proba adsumi non potest. Quia iudicia non ex privatis informationibus, sed ex allegatis & probatis ferri debent. *Prol. Tit. XV. Ita Fessio sub tormentis facta si revocetur, probam non facit.*

Regulae & Axiomata.

1. Invitus nemo rem cogitur defendere.
2. *Farvorabilior est in dubio conditio Rei, quàm Actoris.* Quia iura propendent magis ad absolvendum, quàm condemnandum. In dubio in partem benigniorem semper inclinandum.
- 3 Satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.
4. Peccata suos teneant autores.
Noxa caput sequitur. A' kitöl a' bün arad, feje méltán sárad.
- 5 Is, qui tacet non fatetur; Sed nec utique negare videtur.
6. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.
7. Cui damus Actionem, eidem & exceptionem competere.
8. Obscurè & nihil respondere pariâ sunt.
9. Allegans pro se turpitudinem suam, non est audiendus.



TITULUS SEXTUS DE EVICTIONE

31. Unde dicitur Evictio?

AB evincendo emptorem. Evictores ad partem Inctam referuntur. Estque *Evictio* expeditoria cautio, seu promissio contra legitimos impeditores, alterum in possessione Bonorum defendendi & conservandi. Seu: est obligatio securitatem præstandi. Obligatio hæc evincendi tripliciter enascitur.

1. Ex contractu, idque expressè vel tacitè.
2. Ex natura rei.
3. Ex dispositione legis.

32. Qui possunt esse Evictores?


Omnes, quicumque potestatem contrahendi, & legitimam in judicio standi personam habent: adeoque illi omnes, qui Actores & Rei esse possunt.

Ad evictionem præstandam tenetur omnis, qui rem suam mobilem aut immobilem ex debito justitiæ juris effecit alieni: obligationem evincendi semper involvit præceptum æquitatis, quò injustum esset, ut acceptò alter fruatur, datò alter ex defectu Juris transferentis destituatur.

Non per aliquod *Mandatum*, sed per *citacionem* debet venditor aut oppignorator ad evincendum compelli. secus enim posset impune resiliire. Si *citatus* evincere nolit, in onere adsumptæ evictionis convincetur. *Kitt. Dub. 35. Syntagma Fur. Ung. pag. 185.*

In casu non eviſtionis pretium reddendum est, quod fuit tempore venditionis, non quod eſſet tempore eviſtionis præſtandæ *Trip. I. Tit. LXXIV.*

In cauſam attractus Eviſtoris rationes non alleget meritales, alias Eviſtor non tenebitur evincere. Eviſtoris rationes ſunt meritales Præſcriptio & calumnia. *Approb. Conſt. P. IV. Tit. I. art. 26. Steph. Huſti Lib. I. Tit. XXIV.*



TITULUS SEPTIMUS

DE JUDICE

33. *Quid eſt Judex ?*

Eſt persona publica auctoritate ad lites decidendas conſtituta. Sic appellatur, quod jus dicat, vel rem controverſam ſecundum Jura & Juſtitiam teneatur definere. Præſumitur enim juris & æqui peritus ac amans eſſe. Includit verò Judicis nomen omnes ſedis eccleſiaſticae Adſeſſores in conjuncto; qui debent eſſe viri pii, candidi, inculpatæ vitæ, rerum gnari, bonæ famæ & ab avaritia ac donis captandis alieni.

34. *Quæ ſunt Requiſita Judicis ?*

Debet eſſe Judex (1.) Legum peritus, ſapiens & litteratus. Nam *ignorantia Judicis eſt calamitas litigantis.*

2. Dei timorem in corde gerens, adeoque justus & verax, quia in sede Dei federe & locum ejus tenere reputatur. 2. Chron. XIX. 6, 7. Deuter. XIX. 17.

3. Avaritiam fugiens: quia avaritia munera adfectat, & quo affectus ducit; eò mens & ratio deviat.

4. Passionibus animi carens, ne moveatur precibus, amore, odio, vel ullo personarum respectu.

5. Mature singula discutiat, nec in ferenda sententia sit præceps. *Præcipitancia enim est noverca justitiæ. Prol. Tit. 14.*

6. Justitiam ita continuò habeat præ oculis, ne cujusquam jus violeatur; neque stricto juri ita inhæreat, ut in summam degeneret injuriam, potior semper in judicando æquitatis habeatur ratio. Æquitas autem nec nimium indulgens est, ut dissolutæ licentiæ patrocinetur, nec tam severa ut a justitia excludat misericordiam. *Prol. Tit. XIV. Nec nimis crudelis, nec pius nimis, sed æquus in judicando. Nimia pietas dissolutio est disciplina.*

7. Juratus *Art. XXIII Ulad. 6.*

8. In sua tantum parochia, i.e. territorio vel diœcesi judicet. Extra enim diœcesin suam jus dicenti nemo obedire tenetur *Trip. II. Tit. LXV.*

9. Judex simul & Actor, Judex & Reus, Procurator, Testis esse non potest. *Prol. Tit. XV. Trip. II. Tit. XXII.*

10. Difficultates objicere sub judicio non debet, sed quas Partes sibi mutuo objecerunt, illas judicare. *Trip. II. LXXXII. Steph. Hussti Lib. I. Tit. XX.*

35. *Quæ sunt Officia Judicis?*

Judicis officium principaliter hæc tria involvit, *cognoscere* seu *dijudicare*, *pronunciare*, & *exequi*, quod *decisum* est.

36. *Quod primum Officium?*

Cognoscere controversiam, ubi perlectis Allegatis duo advertere debet.

1. *Processum*, an ille sit jure præscriptus & usu receptus; in quo omnia substantialia ad amissum sunt observanda. Sæpe si in forma peccatum sit, iusta quoque causa condescendit.

2. *Factum*, quod spectat ad materiam. Ubi advertere debet, an verum, vel falsum sit, quod patres dicunt, ut inde Reus absolvendus vel condemnandus veniat. a)

37. *Quod secundum?*

Pronunciare sententiam, ubi veritatem in *Questione Facti* i. e. quid verum sit in eo, quod exponitur. Et in *Questione Juris* i. e. quid jura de Facto tali volunt, agnoscit, secundum eam sententiam dicere tenetur. Judex a jure regulariter recedere non potest, quia non supra, sed infra leges est, & ligatur lege *Trip. II. Tit. V.* obligaturque non de lege, sed secundum legem judicare *Trip. II. Tit. II.* Sententiam definitivam semel latam, & interlocutoriam definitivæ vim habentem mutare non licet. *Quia res judicata pro veritate habetur. Reg. I. 270.*

38. *Celebris est Questio.*

Num Judex secundum privatam suam scientiam, an juxta

B 4

allega-

(a) *Huysti Lib. I. Tit. XX. §. 8.*

allegata & probata sententiam ferre debeat? v. g. Judex scit aliquem innocentem, qui tamen ut debitor, nocens, homicida, per testes probatur. An ergo secundum testes, an secundum scientiam debet judicare? Agendum hic videtur.

1. Quando Judex non habet certam ac dubio omni carentem scientiam; tunc sine controversia tenetur judicare secundum allegata ac probata.

2. Quando verò Judex certissimam ac dubio omni carentem habuerit scientiam v. g. Ipse ex fenestris spectavit Paulum patrasse homicidium; ejus tamen facinoris autor per testes Petrus esse probatur. *Hic Judex sit Daniel.* i. e. dilato judicio testes iterum, iterumque per captiosas Quæstiunculas examinet, ut falsitas testimonii deprehendatur. Si ne ita quidem fieri possit, præstat ut Judex esse recuset, sed potius testis judicium ad sedem superiorem remittendo. *b)*

39. *Quod Tertium?*

Ubi sententia in rem judicatam abierit, aut vires rei judicatæ acquisiverit Executioni mandare. Sed Judex sine exmissione ex sede judiciaria, executionem peragere non potest. Alias in emendam capitis incurrit, & damnum refarcire tenetur. *c)*

Regulæ

(b) Quæstio tractata videri potest apud Reinsffenst. Tom. I. Lib. I. Tit. XXXII. §. 2. And. Hussti Tit. LV p. 228. Steph. Hussti Lib. I. Tit. XX. §. 13. Prol. Tit. 15. 16.

(c) Vid. And. Hussti §. CCCLXXXIII. pag. 154.

Regulae & Axiomata.

1. Judici extra territorium jus dicenti impune non paretur.
2. Facilitas veniæ est incentivum peccandi.
3. Ignorantia Judicis est calamitas litigantis.
4. Ubi rigor, ibi vigor.
5. Factum a Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.
6. Non sufficit bonum facere, nisi & bene id fiat.
7. Bonis nocet, qui parcit malis.
8. Dum fontibus parcitur, infontibus nocetur.
9. Melius est in misericordia excedere, quam in severitate.
10. Irâ factum non est ratum.
11. Judex concordiam svadere, non imperare potest.

*TITULUS OCTAVUS.**DE PLENIPOTENTIARIIS.*

40. *Quid est Plenipotentiarius?*

Plenipotentiarius est, qui negotia aliena absente vel etiam præsentem Principalem in & extra judicium, *juridicè* & *politice* tractandi, jure & amicabiliter componendi Mandato sui Principalis, potestatem habet.

Plenipotentarius in omnibus causis & negotiis, qui in arbitrio Principalis sunt constitui potest & agere. In criminalibus tamen ad pœnam capitis tendentibus personaliter Reus Principalis adstare debet.

41 *Quanta est potestas Plenipotentarii?*

Quantam ei concedit constitutio, seu Mandatum Domini. Ratio est illa, quia omnem potestatem habet a Domino; quam is vel tacitè, vel generaliter concedit, vel specialiter exprimit in Mandato. Is non solum ipse sui Principalis negotia agere, tractare, & pro commodo ac emolumento ejusdem tam judicialiter, quam extra judicialiter concludere, sed & Procuratores toties quoti- necesse fuerit constituere possit; ac substituere, nec non de jure revocare. Cujus acta, facta, tractata, conclusa Principalis ejus rata firmaque habere debet. d)

42. *Quis est effectus Plenipotentiae?*

Quod Plenipotentarii factum constituenti Domino & profit & noceat. Repræsentat enim Dominum, & quod ab eo gestum revocari non potest. e) Si autem fines Mandati excesserit, tunc constituenti nocere non potest, ex defectu potestatis.

43. *Quid si dolosè, vel negligenter agat?*

Sibi imputet Principalis, quod tali potestatem tribuerit. *Jura enim subveniunt vigilantibus.* f)

44.

(d) Kitt. Cap. X. Q. 24. A. Hussti §. CCCVII. p. 123.

(e) Kitt. VIII. Q. 23.

(f) S. Hussti Lib. I. Tit. XXV. §. 13.

44. *Quis potest constituere Plenipotentiarium?*

Unusquisque, qui Rei Dominus est, liberamque administrationem habet, neque lege prohibetur. Prohibentur autem.

1. Religiosi sine consensu Superiorum.
 2. Pupilli in casibus, quibus litigare non valent.
 3. Sub tutela, aut curatela existentes, furiosi, nisi lucida habeant intervalla.
 4. Excommunicati, aut infamia juris adfecti.
- Plenipotentarius verò alium Plenipotentiarium constituere non potest; quia non est rei Dominus. g)

45. *Quis potest constitui in Plenipotentiarium?*

Ad negotia tractanda quicumque capax est illud exequi. *Ad litem*, qui suo nomine in iudicio stare non prohibentur.

Prohibetur autem

1. *Milites*, ne publicum patiatur.
2. *Femine* ob imbecillitatem ingenii.
3. *Minorennes* & alii sub tutela constituti.
4. *Infames*.
5. *Servi* & subditi, qui non sunt sui juris.
6. *Inviti*, est enim officium privatum, ad quod nemo potest cogi.
7. *Mutus* surdus, cæcus, constitui quidem possunt, sed minus sunt habiles.

46. *Ubi debet constitui?*

1. *Verbaliter*. Si ad causam coram aliquo Iudice tractandam constituatur, potest constitui coram

(g) *Idem II. cc. §. 9.*

ram Judice causæ, in & extra judicium existente verbaliter hoc modo: *Ego Dominum NN. ad causam meam hanc & hanc promovendam & agendam coram Dominatione vestra institutam in legitimum meum Plenipotentiarium constituo.* Hæc inservit pro illa tantum causâ, & coram eodem Judice.

2. *Litteratoriè.* Constitutio fit, in Capitulo Conventu, & coram ordinariis Regni Judicibus ad negotia civilia, Ad Ecclesiastica coram Seniore Superintendente, velut ordinariis suis judicibus; ubi personalis præsentia constituentis requiritur. *b)*

47. *Quousque durat Plenipotencia?*

1. Generalis constitutio pro omnibus causis & negotiis coram Justiciario quovis, a die constitutionis durat per annum.

2. Particulariter ad hanc vel illam causam, aut negotium agendum, durat nulla habita ratione annorum ad consumationem causæ vel negotii.

3. Cum clausula: *usque ad revocationem*, si generaliter facta fuerit, donec *revocetur*. Si particulariter cum causæ & negotii consumatione extinguitur. *Art. XXXV. 1723.*

4. Cum clausula: *usque ad reditum*, cum quis studiorum &c. causa extra regnum proficiscitur durat usque ad reditum, & solo reditu expirat.

5. Si constitutus infamiam juris incurrerit, vel alio naturali impedimento laborat. v. g. mutus effectus,

6. Morte constituentis & constituti.

Regu-

(*b*) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XXV. §. 5.*

Regula.

Potest quis facere per alium, quod potest facere per seipsum.



TITULUS NONUS

DE PROCURATORIBUS.

48. Quid est Procurator?

Procurator est, qui juramento ad id obstrictus aliena negotia mandato Domini presentis vel absentis juridicè tractat. *Procurator* dicitur a causa procuranda. *Causidicus* a causa dicenda. *Advocatus*, quia vocatus sit ad litem administrandam.

49. Qui possunt esse Procuratores?

Omnes, qui non specialiter prohibentur, aut naturaliter impediuntur. Prohibentur autem

1. *Mulieres*, non fert sexus verecundia.
2. *Infames* Trip. II. Tit. XXX.
3. Omnes illegitimæ ætatis, qui non habent personam in judicio standi.
4. Prævaricantes Procuratores *App. Const. P. IV. Tit. XIX. art. 2. 3. Kitt. X. Q. 18.*
5. Personæ potentiores, quia terrori essent adversario, *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 4. And. Husii §. CCCXVIII.*

50. *Quæ sint Requisita Procuratoris?*

1. Ut sit Jurisperitus, Legum, Processus, vel ordinis judicialis, & causæ sui Principalis gnarus; imperitorum enim strepita, & bona causa malè procurata amittitur, magno sui Principalis damno.

2. *Vir bonus*, qui præstet officium integrè, diligenter, fideliter, modestè & prudenter, sine divitis & pauperis personæ acceptione.

Integritas postulat, ut non prævaricetur, non tergiversetur, falsis testibus aut litteris non utatur: neque causam malam sciens suscipiat, nisi forte ex Judicum mandato pro indigentium succursu. *Appr. Const. P. IV. Tit. XIX. art. 1.*

Modestia tam erga Judices, quam erga adversarios est summè necessaria.

Prudentiæ est leges adplicare ad facti speciem, commodè & circumspèctè loqui, modum Procedendi observare, ne inutiles suo Principali sumptus causet ex variis exceptionibus, atque causæ protelatione.

Fidelitatis est causam sui Principalis bonâ fide, pro virili, seposito omni humano respectu, ut suam procurare, eam non prodere, cum adversario non colludere, litteralium instrumentorum sollicitam curam agere, tum voce tum gestu præse ferre, se de causâ sua optimè sentire, quamdiu certò de ea constiterit. Litis enim exitus dubius esse solet. *Trip. I. Tit. XXVII.*

3. Gravibus exactionibus non oneret suos Principales, labori suo competenti salario, maxime a Judice definito sit contentus. Alioquin in facie sedis eò factò pœna homagii vincetur.

App.

App. Const. P. IV. Tit. XIX. art. 2. art. 30. 38.
1723.

4. Juramento in loco judiciario deposito ad causas procurandas adstrictus esse debet, secus ab agentia removetur. *App. Const. Part. IV. Tit. XIX. art. 2. 3.*

51. *Qui possunt constituere Procuratores?*

Omnes illi, qui in iudicio standi personam habent. Qui sint tales, superius visum.

52. *Quomodo sit legitimatio, seu Procuratoris constitutio?*

1. *Verbis*, in iudicio coram Præside vel Adfessoribus ac Notario: *Ego Dominum NN. procuratorem meum constituo.* Durat talis constitutio ad causæ decisionem.

2. *Scripto*, quod dicitur *Litteratoriè*, in Capitulo, Protonotariatu, accepto super eo testimonio authentico in forma consveta. *Trip. II. Tit. XIII. Appr. Const. Part. IV. Tit. XIX. art. 4. art. 35.* 1723.

Dupliciter adhuc solent constitui Procuratores.

(a) Quando litis dominus gravi morbo aut aliis legitimis causis impeditus, ad loca authentica ire non potest, duos Officiales aut Adfessores ad se accersit, & coram eis impedimentum fatetur; quorum testimonium ad locum authenticum defertur, ibique *Procuratoria constitutio ad Rescriptum* expeditur.

(b) Legitimare volens dat instantiam ad Protonotarium, ut duos mittat scribas, qui legitimacionem ex ore legitimantis calamo exciperent,

rent, quam reversi in forma expedirent. Quæ *Procuratoria constitutio ad instantiam* dicitur. a)

53. *Quid hic observas?*

Quod nemo alterius nomine agere possit, nisi constituatur; quæ constitutio si generaliter expedita fuerit, durat ad annum. Si ad hanc vel illam causam, usque dum illa terminetur, & tunc per se cessat.

Si verbaliter constituatur Procurator coram Notario, vel in facie sedis, durat constitutio in Foro ecclesiastico tam diu, donec illa causa finem fortiatur sine remedio.

Allegans verò sine constitutione in emenda lingvæ convincitur. *Trip. II. Tit. XII.* & silentium imponitur. Pœnâ depositâ constituatur a suo Principali & loqui potest.

54. *Quid si Procuratoris allegatio in judicio sit mendosa?*

Constituens Principalis Personaliter adstans aut ejus Plenipotentarius habet facultatem stante sede revocandi Procuratorem. *Trip. II. Tit. LXXIX.* Sub onere *flb. 3.* in inferiore sede, & in superiore duplicato. *Trip. III. Tit. VI.* ita tamen si sufficiens ratio revocationis assignari possit. Contingit verò talis error interdum præter mentem & extra informationem sui Principalis. Interdum verò ex inanimadvertentia & non bene intellecto & circumspecto causæ statu. At non nisi lite pendente potest revocari Procurator. *Trip. II. Tit. LXXVII.* Facta revocatione Procuratoris omnes Processus super

(a) *And. Hufii* §. CCCXXXI. CCCXXXII.

super eo fundati revocantur. Potest tamen Procurator revocatus & emendatus in eadem causa iterum agere absque nova constitutione.

55. *Quibus in causis potest Procurator revocari?*

In omnibus lege speciali non prohibitis. Est enim revocatio remedium juris in favorem causantium ordinatum. Prohibetur verò

1. In quinque casibus majoris potentiae, verberationis, vulnerationis, interemptionis, indebitae detentionis, & invasionis domus Nobilium. *Art. LVI. 1550.*
2. Ubi omnia juridica Remedia lege aut contractu mediante praclusa sunt *Art. XXX. 1729. Art. XXXI. 1723.*

56. *Formula revocationis qualis est?*

Talis esse potest. *Titus Fabolenus praesenti in Processu A. vel I. vel si fiat medio Plenipotentiarum tunc: Titus Fabolenus praesenti in Processu A. vel I. legitimus hujus & hujus Plenipotentiarum dicta & facta Procuratoris ejus, ab hinc usque huc (bene specificando eadem) tanquam praeter scitum & informationem dicti Domini Principalis sui & Plenipotentiarum ejus interventu, juribus illius nociva, beneficio Trip. II. Tit. LXXIX. LXXX. LXXXI. Art. XXXIX. 1729. Cum onere tot aut tot florenorum, (in Synodo Partiali fl. 3. in Syn. Gen. fl. 6.) in judicio effectivè depositorum revocat; cupitque partem adversam ad levandam tertialitatem vigore Trip. II. Tit. VI. sibi competentem, in continenti judicialiter admoneri. Et subnectit novam rationem talem & talem.*

57. *Onus revocationis cui cedit?*

In omnibus Foris & causis in duabus partibus Judicibus causæ, in tertia verò parte cedit illi parti, contra quam sit revocatio *Trip. III. Tit. VI.* Si verò illa pars judicialiter admonita obtinens suum levare nolit, Judices partem quoque eam pro se retinendi jus habent. a)

Regulae & Axiomata.

1. Procurator & Judex in eadem causa nemo potest esse.
2. Akasztott embernek varju Prokátora.



TITULUS DECIMUS.

DE ADMONITIONE.

58. *Quid est Admonitio?*

Admonitio est actus judiciarius, quo injuriam patiens adversarium ad aliquid dandum vel faciendum medio personarum fide dignarum, vel extinguendæ litis causa, vel ut magis sit locus Actioni adurget. Fitque Admonitio vel

1. *Necessario*, cum videlicet ea non prævisa locus Actioni non erit, veluti

(a) Ratione pignoris *Trip. II. Tit. XX. & LXXI.*

(b)

(a) *Kitt. Cap. IV. Q. 2. St. Hussi Lib. I. Tit. XXVIII. §. 12. 13.*

(b) Contra depositarios. *Art. XXVIII. 1638.*

(c) Contra Hæredes per præcedentes suos violenter occupata Bona possidentes, quos ignorantia facti alieni excusat.

(d) Ratione restitutionis profugorum colonorum & seravorum. *Art. CI. 1659.*

(e) Ratione instrumentorum ad alienas manus deventorum. *Art. XLIII. 1715.*

(f) Ratione neglectorum communium ædificiorum contra morosos reparatores *Art. LXIX. 1715.*

(g) Et aliis casibus pro quibus non nisi præmissa admonitione leges actionem tribuunt.

2. *Utiliter.* Cum lex equidem præmitti absolute non exigit, per eam tamen causam nostram reddimus meliorem. Nam præscindimus adversario bonam fidem; quo minus se ignorantia excusare possit. vel jura sustentamus, ut ratione debiti. *Art. XXXVII. 1729.*

3. *In forma tentaminis.* Dum neque lex exigit nec conditionem nostram reddimus meliorem, sed adversarium conamur inducere ad amicabilem compositionem lites prævertendi causa, a)

Admonitio non est hoc sensu principium litis, sed ratione nonnullarum causarum, *Conditio sine qua non*, sine qua non potest lis moveri.

59. *Per quos debet Admonitio fieri?*

1. In civilibus causis.

(a) Per juratos Cancellariæ scribas.

(b) Per Judicem Nobilium.

(c) Per duos Nobiles.

(a) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XXXV.*

2. In ecclesiasticis.

(a) Per duos Verbi Divini Ministros.

(b) Per Ministrum & scholæ Rectorem, Cantorem Ædituum.

(c) Per scholæ Rectorem & Ædituum.

(d) Per Ecclesiasticum & Nobilem secularem.



TITULUS UNDECIMUS.

DE LITIS MOTIONE.

60. *Quid est Litis Motio?*

Est principium Processûs judiciarii: Processus verò judiciarius est forma vel methodus lites prosequendi a Judice & Partibus litigantibus observanda juxta illud: *Processus extra formam juris factus, ipso jure nullus est.*

Processus equidem ecclesiasticus conformatur se quantum potest Juri Patriæ civili. At ejusdem ordinarii Processûs subtilitates rigidè observare in omnibus non potest. Substantiæ potius Juris Gentium secundum rei veritatem & conscientiam habet rationem, quam ipsarum Juris civilis solennitatum. Hoc est, ut sit tempus & modus probandi ac defendendi.

Litis Motio tam in seculari quam in ecclesiastico Foro, incipit ab Accusatione vel per modum supplicis libelli, vel per modum Juris facta. Si

per

per modum instantiæ inchoetur causa debet notificari per Certificationem parti alteri, ut se sistere possit coram Judice. Altera enim parte inaudita, sicque causa non satis cognita condignum judicium ferri non potest. Qui statuit parte altera inaudita, æquam licet statuerit, haud æquus est.

Quando via Juris proponitur *Accusatio*, Forum ecclesiasticum, quantum fieri potest, accommodat se seculari, etsi rigidè in omnibus strictum ejus Processum sequi non valeat.

Processus cujuscunque generis fit initium sumit ab ipsa denunciatione; qua Actor declarat se velle, in hoc vel illo Foro, ob hoc vel illud, contra hunc vel illum agere cum ipsius facultate se defendendi. Soletque in jus vocatio dici *Citatio*, *Certificatio* & *Evocatio*.

Ordinarii enim Judicii partes sunt.

1. In jus vocatio, seu Litis motio. *Meg-bivás, Törvénybe-való idézés, hívás, Perindítás.*
2. Contestatio litis, *Perfolyás.*
3. Decisio litis, *Pernek el-igazítása, vagy sententzia.* Si quis itaque absque in jus vocatione damnatus sit, ipso jure nullus est Processus, nulla sententia. Processus siquidem extra & præter formam juris institutus ipso jure est nullus. a)

(a.) Vide Ideam. Act. Juridic. p. 5.

TITULUS DUODECIMUS.

DE EVOCATIONE.

61. *Quid est Evocatio?*

EVocatio est actus judicialis, quò quis mandato Judicis Juris experiundi gratia in jus vocatur. Qui ad generalem conceptum hunc significatum habet *citatio* quoque & *certificatio*; verum usus diversum illi sensum attribuit; maximè in Processu civili.

62. *Quomodo fit Evocatio?*

Virtute litterarum Præceptoriarum ad Inditam Tabulam Regiam, prout habet jus Patrium. *App. Const. P. IV. Tit. I. art. XIII. Trip. III. Tit. XXVI. XXII.* Fit verò in casibus *App. Const. P. IV. Tit. I. art. II.* recensitis. a)

In Processu ecclesiastico Evocatio fit virtute litterarum & sigilli Superintendentis ad Synodi Generalis judicium. *Evocati* dicuntur, quasi ab extra vocando, quia per illam causarum motionem, extra proximas sedes solent educi litigantes.

Peragitur *Evocatio* per Verbi Divini Ministros Jurisdictioni Superintendentis subjectos.

TITU-

(a) *Varonis Idea Act. Jurid. pag. 301.*

TITULUS DECIMUSTERTIUS.

DE CITATIONE.

63. *Quid est Citatio?*

Est actus judicialis quò Inctum juris experi-
 undi causa in jus vocat. seu: Est in jus
 vocatio auctoritate Judicis legitimè facta. *Trip. II.*
Tit. XVIII.

Citationes ad sedes inferiores fiunt auctoritate
 Judicis. *App. Const. Part IV. Tit. art. XIX.* In
 Processu ecclesiastico virtute sigilli Diœceseos Se-
 nioris & Instructionum in tali casu procedenti præ-
 scribendarum ad Synodum Partialem. In Diœce-
 sibus Siculicalibus etiam ad *quindenalem*, aut *com-*
munitatem Præsidis ejusdem sigillò.

64. *Quæ sunt observanda in citatione, seu
 in jus vocatione?*

Præcipuè sequentia.

1. Actionem moturus antè citationem dijudicet,
 ejusnam Judicis competentiam concernat causa,
 & an Persona citanda habeat jus standi in judiciis.

2. Ut forma seu modus Citationis & conse-
 quenter in judicio proponendæ Actionis sit legiti-
 mus, Personæ, Loci & Temporis præcipua ha-
 beatur ratio. *Trip. II. Tit. XXVI.* Si enim ex his
 vel una circumstantia desit, illegitima erit Citatio,
 causaque condescendere debet, i. e. non stabit,
 proque nulla reputabitur. Unde illud: *Nemo nisi*

legitimè citatus cuiquam respondere & judicio stare tenetur. Trip. I. Tit. IX. Art. XXXIV. 1613. Appr. Const. P. III. Tit. VI. art III.

3. Cum nulla citatio sine mandato Judicis fieri possit, accepto a competente Judice legitimè emanato sigillo, per ordinarios Ministros ejusdem Judicis ecclesiasticæ jurisdictioni subjectos, scilicet Pastorem ecclesiæ (pro loci consuetudine) Rectorem scholæ, Cantorem ecclesiæ vel Ædituum, postquam eidem salarium depositum fuerit, curet Actor citari Reum, penes verbalem vel litteralem citantibus præscriptam instructionem.

4. In qualibet citatione Nomen & cognomen Actoris, sive ejus ad cujus requisitionem sit citatio debet exprimi; ut sciat scitatus contra quem debeat se munire.

5. Exprimatur etiam in omni citatione Nomen citati & cognomen cum debita declaratione & distinctione ab aliis, si enim aliquid obscuritatis habuerit (scil. senior, junior in familia) tunc citatus quidem comparere obligabitur, ne contumaciæ arguatur; verùm Exceptionem opponere potest.

6, Judicis quoque Nomen & cognomen cum officio dignitateque citationi inferatur, ut citato constet an suus competens Judex sit. In casu etiam *incompetentiæ Judicis* citatus comparere debet, ad Exceptionem declarandam, ne præsumatur contemnere auctoritatem Judicis.

7. Citatio insinuanda est ipsi adversario personaliter, sive in Ædibus propriis, sive in alio quocunque loco, modo is Judicis jurisdictioni sit sub-

jectus

jectus, & inde citatio adversario innotescere possit.

Trip. II. Tit. LXV..

8. Personaliter haberi si nequeat, per eos, & ibi unde probabiliter citatio possit innotescere signo aliquo citationis relicto. In Processu civili si citandus abest, vel foribus occlusis latitat, neque homines ejus potestati subjecti compareant, vel quia non sunt, vel latitant. Citatio facta ad **Domum** habitationis ejus signatâ porta aut janua cruce vel notabili aliquo signo coram duobus testibus stat. a)

9. In citatione competens quoque locus celebrandi judicii distinctè designetur, ut constet citato ubinam comparere debeat.

10. Citatio peragi potest, quovis tempore modo die fiat non nocte; quæ suspecta esse solet in in talibus actibus. Valet etiam die Festo vel Dominico in casu necessitatis peracta citatio, si non Festo sed profesto jubeatur citatus comparere. Debet itaque Tempus aut terminus exprimi, i. e. non modo illud intervallum temporis, quo citatus ad comparendum & præmeditandum obligatur; sed & dies ille, quo adveniente potest, & debet citatus se in iudicio ad respondendum sistere. Qui specificari solet octavus. *App. Const. P. IV. Tit. I. art. XIX.* Advertere debet verò Actor, ne terminus præfixus sit feriatus, in quo Processus judiciarii non licitè neque validè queunt expediri nisi partium consensu; secus citatio condescendit.

(a) *Tyrocin. f. Ung. p. 158. Kitton. II. Q. 10.*
Step. Husty Lib I. Tit. XXXVIII. §. 19.

11. In citatione significetur breviter causa ob quam, ad iudicium quisquam citetur. Cum loco & tempore, quo vel circa quod patratum est negotium, & quandoque cum jure, quo prætenditur, aut Reus possit se prædisponere ad liti cedendum vel respondendum.

12. Ut innotescat, an citator legitimè functus sit officio, bonâ fide in litteras testimoniales referat suum Processum cum debitis circumstantiis, puta loco, in quo, medio cujus; quo die & anno & quomodo executioni data sit citatio, adjecta citati Responsione ad eandem facta. Dein propriæ manus subscriptione & sigillo patenter, vel competenti Judici intitulando & obsignando muniat. Solet dici *Citoria Relatoria*.

13. Quandoque Judicum rationabili annuentia & Partis adversæ concessione citator verbaliter aut aliis litteris fide dignis potest Relationem superinde facere.

65. *Quid porrò de citatione observas?*

Quod ea dicatur quandoque

Primò. Insinuationalis, quæ cum specifica causæ declaratione penes expressam Actionem peragitur, & spectat ad causas brevis litis *Kitt. Cap. II. Q. 3.*

Secundò. Personalis. Estque ea

1. Dum Reus sola sua in Persona, sine litteris certicatoriis verbaliter tantum citatur, velut sub Diætis ad tertium diem ratione contumeliarum & violentiarum personalium & necis in loco Diætæ patrarum. *Art. VII. 1723.*

Huic ferè respondet *citatio instantiva* in figura sedriæ in Foro etiam ecclesiastico non inusitata, si quis

fi quis inhonestis adficiatur verbis, ubi læsus expetito a Præsidente signo per deputatam ad hoc personam peragit, Reumque in instanti ad respondendum cogit; neque e conspectu Judicum donec satisfaciatur abire finit.

2. Dum Reus ad personaliter comparendum citatur. *Art. XXXII. 1723. veluti,*

(a) In causis criminalibus, ubi executio ad caput, aut pœnam corporis afflictivam tendit.

(b) Ubi per Inctum litteralia instrumenta, aut res mobiles, sua natura occultabiles sunt producendæ. *Art. XLIII. 1659.*

(c) Ubi juramento Rei causa submittenda & terminanda. *Art. XXVII. 1729. Steph. Hussti Lib. I. Tit. XXXVIII. §. 23.*

Tertio, Edictalis usu venit in causis matrimonialibus, dum pars altera malitiosè defervit suam conjugem, perque plures annos ubi lateat prorsus ignoratur, per *Edictum* solet citari. Fitque hæc citatio, dum *Edictum* in loco domicilii deferentis, i. e. valvis domus ubi residentiam habuit, aut cognatorum, vel maximè valvis celebriorum ecclesiarum adfigitur per tres quindenas; e suggestuque publicè terna vice finita concione prælegitur. Unde Adtestatio Parochi prælegentis extrahitur. Trina requiritur citatio. *Prima* ad comparendum, *secunda* ad reddendam rationem non comparisonis & allegendum, *tertia* ad audiendam sententiam. Aliquando cum omnia manifesta sunt, una sufficit. a)

Hæc

(a) *Böhmer Lib. II. Tit. III. §. 13. Bruneman Lib. III. Cap. II. §. 16. Reiffenstuel Lib. Decret. II. Tit. III. §. 3.*

Hæc dicitur etiam *Citatio de loco aufugii*, dum citans fugitivum domo lareque carentem, qui unde evocetur possessionem aut residentiam non habet, de hospitiis unde aufugit citat. Aliquando citatio fit *de Porta hospitii*, ubi commoratus est, aut *de vicinis*, quibuscum conversatus est.

66. *Quid hic notandum?*

Quod modus citandi per *Edictum* non est pro arbitrio Judicis permittitur, sed in casu tantum necessitatis, quando Reus aliter citari non potest. Sunt verò casus sequentes.

1. Quando citandus se malitiose occultat, efficitque seu per se seu per alios, ut citatio ad ipsum pervenire non valeat.

2. Quando quis manet clausus in domo sua, nec patitur se videri ad hoc ut citetur. Reo invito non debet quis intrare domum ejus causa citandi, quia faceret ipsi injuriam. Tunc in præsentia testium potest adfigi *Edictum* citatorium in ejus janua vel porta, quod perinde habetur, ac si personaliter citatus fuisset.

3. Quando locus ubi quis citandus foret, non est tutus, sive ob hostilitatem, vel inimicitias ortas, *Edictum* adfigitur in locis vicinis unde verisimiliter citatio innotescere potest.

4. Quando citandus est vagabundus *Edictum* debet adfigi in illa civitate, ubi commorari solebat, in præsentia testium vel *Notarii Publici*.

5. Si contradictor est incertus per *Edictum* citantur omnes, quorum interest. Ita si quis e loco discedere cupit, possunt citari creditores qui ignorantur. a)

67. *Quid*

(a) *Reiffens. Decr. Lib. II. Tit. III. §. 3.*

67. *Quid adhuc de Citatione?*

Quod ea fit aliquando

1. *Verbalis*, cum Reus viva voce coram & in facie per Ministrum citatur. Quæ locum habet.
 - (a) In Synodis ob verba contumeliosa.
 - (b) Dum ignobiles, proprii coloni, & servitores in jus vocantur.
2. *Litteratoria*, quæ fit per litteras Judicis.

68. *Citari qui possunt?*

Omnes, quibuscum agendum est, si legitimum in judicio standi personam habuerint. Sed illi qui Incti fieri non possunt excipiuntur. In specie autem *mortui*, *pueri*, *captivi*, *pupilli* sub pœna homagii citari non possunt. *Trip. I. Tit. CXXXII. Trip. II. Tit. XXIII.* Quam pœnam petendi facultatem habere censetur, quo ad mortuum & captivum hæres immediatus, quo ad pupillum tutor. Vivente marito mulier quoque in causa connexa ratione violentiarum de bonis non solet evocari. *b)*

Nobilis non *personaliter* sed de juribus suis possessionariis citandus est. *Trip. II. Tit. XXIV.* Ad personalem enim comparitionem aliquem evocare in casibus prohibitis a lege sub pœna mortui homagii est prohibitum. *App. Const. P. IV. Tit. I. Art. XVI.* Rusticorum enim illud est ut juri statuantur, i.e. in figura judicii exhibeantur. *Trip. II. Tit. XXIII.*

69. *Citatio in causa connubiali?*

Debet esse personalis, velut in causis criminalibus, quarum executio tendit ad caput.

Feriæ

(b) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XXXVIII. §. 15.*

Feriæ quibus litigare non licet determinantur
Art. XXIX. 1723.

70. *Quis est Effectus Citationis?*

1. Citatum obligat ad comparendum, nec excusabit, quod non sit ejus Fori; vel error in formalitate sit commissus, ob quem legitima dici nequeat. Comparere enim tenetur defectumque in judicio objicere potest, ac per sententiam Judicis experiri num sit talis, qui citationem descendere faciat. Secus censebitur contumax, licet citatio fuerit vitiosa, in totali Acquisitione Actoris vincetur.

Nisi ante terminum causam per Mandatum declinasset, aut a procedendo Judicem inhiberi fecisset. Ratio hæc est. Ne publicus juris ordo turbetur: neve publicam Juris autoritatem vili pendere, Actorem eludere, & consequenter lites multiplicare, occasio præbeatur.

Hoc tamen ita intelligendum, si Judex citandi fuerit capax, i. e. publicam ex officio habuerit potestatem in Personam & materiam substratam. Secus si Nobilis politicus citetur ad Forum militare, aut ad Pagi ignobilem Judicem, comparere non tenetur.

2. Obligat Actorem ad prosequendam coram Judice citante litem. Aliàs si verba dicentis probari possent, *se nunquam in sede compariturum.* Inctus absolvi posset.

3. Operatur prævaricationem.

4. Inducit Litis pendentiam.

5. Interrumpit Præscriptionem in odium negligentis inductam. *Trip. I. Tit. LXXIX.*

7. Con-

7. Contra non comparentem ac contumacem procedere facit, ac si præsens esset.

8. Si citatus neget se citatum, convictus debet solvere.

9. Post legitimam citationem lite pendente, licet sedem vel statum, aut conditionem mutet citatus, alteriusque Judicis se potestati subjiciat, in præjudicium Actoris aut prioris Judicis Foro renunciare. *App. Const. P. I. Tit. V. art. IV.* aut aliquid innovare non potest. *Trip. II. Tit. XXV.*

10. Qui aliquem citari in judicium facit, videtur personam ejus adprobare, ita ut contra eam excipere nequeat. Citationem enim vult ut cum eo agat. Sic agit Nobilis contra ignobilem. *Trip. III. Tit. XXXI.* Honestus contra infamem. *Trip. II. Tit. XXX.* Non tamen videtur Actio reconventionis Reo competere argumento *Art. XXIII. 1613.* Quo pœna indebitæ Actionis solis Nobilibus Incattis conceditur. (c)

11. Citatio binaria in eadem causa producit calumniam; quæ ducentis flh. & perpetua causæ amissione punitur. *Trip. II. Tit. LXX.* Si verò Tutores vel Prædecessores litem moverant, non ipse A tunc binaria citatio calumniam non producit. *Appr. Const. Part. IV. Tit. I. art. XXXVI I.*

Regulæ & Axiomata.

1. Citatio est fundamentum Judicii.
2. Nemo nisi legitime citatus cuiquam respondere, & in Judicio stare tenetur.
3. Lite pendente nihil innovetur.

TITV-

(c) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XXXVIII. §. 36.*

TITULUS XIV.

DE CERTIFICATIONE.

71. *Quid est Certificatio?*

Est actus judicialis, quo A. Inctum juris experiendi causa ad legitimum iudicium in jus vocat.

Certificatio fit sub propriis Judicum sigillis ordinariè in Processu queruloso *App. Const. P. III. Tit. VIII. art. I.* Ubi lis movetur absque pœna. In certicatoriis si Judicis subscriptio aut sigillum desit exceptionem I. opponit, eaque descendit. a)

72. *Certificatio ubi locum habet?*

1. Quando lis movetur penes instantiam.
2. Præmittitur executioni legitimæ.
3. Quando I. Judicis sententia gravatus Novum Iudicium a Iudice expetit, per certificationem Actori denunciat.
4. Fit etiam quando Mandato Inhibitorio quis executioni obviat, & quando Repulsionis ratio exigitur.
5. In devolutione litis ad Inctum. *A' Pernek másra-való Ballitásában. Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 39.*

73. *Quid hic observari debet?*

Quod in causis penes certificationem motis, *Prohibita, Inhibitio, Exmissio, Novum Iudicium, Simplex*

(a) *Tyrocin. Jur. Ung. ad Tit. XVIII. 2da §. 7. 8.*

plex, & alia Remedia Juris excluduntur, & ideo Processus *Brevis Brevium* dicitur. Unde manifestè patet discrimen, quod inter citationem & certificationem intervenit. Illa enim omnia in causis penes citationem motis admittuntur. *b)*

74. *Possunt ne Exceptiones opponi in hoc Processu?*

Maxime. Contra Forum, Actoratum & Processum, prout etiam contra producta Partis alterius, si ea legitima non fuerint. Nam in Foro incompetenti, cum Actore incompetente, & penes illegalem Processum nemo tenetur agere, respondere in judicio. Ideo istæ Exceptiones ante ræspensionem ad meritum jure opponi possunt, & tunc est locus exceptioni. Sed dum res ad substantiam & meritum devenit, nec Exmissio, neque ulla Juridica Remedia in hoc Processu ex mente legum Patriarum admittuntur.

TITULUS XV.
DE PROCLAMATIONE.

75. *Quid est Proclamatio?*

Est legitima Partis Inctæ præ foribus domus judicariæ tempore inchoati Processus publicè & clara voce in jus vocatio.

Adveniente præfixo in citatione judicii termino, Judex seriem per Actorem impetratam notificat.

D

cat.

(b) Varonis Idea Act. Jurid. p. 245.

cat. *Inctus* more consueto per ordinatum Ministrum præ foribus domûs judicialis Judice jam ad tabulam sedente nomine Actoris proclamatur.

Proclamari debet Reus etiamsi præsens fuerit in judicio, quia est actus judicialis pertinens ad ordinem procedendi.

Semel in eadem causa fit, sed tunc ter repetitur. Non pertinet ad essentialiam Rei defensionem, ideoque Actionem contra ignobiles institutam si præmittatur non vitiat; tamen boni publici causæ ordo juris immutetur observanda est. c)

TITULUS XVI. DE LEVATA.

76. *Quid est Levata?*

Est Propositio Actoris in qua petit A. in judicio ratione suæ prætensionis pro legum & æquitatis dictamine contra *Inctum* sibi jus dici, justitiamque fieri. Peracta enim Proclamatione Rei, Actor causam suam coram sede judiciaria solito onere *Asthal Pénz* dicto, deposito legitimat: dein aut verbis, aut scriptis exhibetur Notario Actio, seu Propositio, quæ vocatur *Levata* apud civilistas, sæpius verò *Libellus Actionalis*.

77. *Quæ sunt Levatæ essentialia requisita?*

Ut coram legitimo & competente Judice, a competente Actore, æque competentem *Inctum*, penes

(c) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XL.*

penes legalem Processum, sive servatis de jure servandis instituatur ac proponatur. Præcipuè species *Facti*, *Temporis*, *Loci* & *Personarum* sunt exprimendæ; sine quibus nulla Actio potest in judicio vim aliquam fortiri. *Prol. Tit. XIII. Trip. II. Tit. XXVI. LXXXII.* Requisita Levatæ exponunt hi versus.

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?
Quis? quid? coram quo? quo jure petatur? & a quo?
Rectè compositus quisque Libellus habet.

78. *Levare causam, vel Actor esse quis potest?*

Solus ille, quò Actionem Judici proposuit, vel alterum citari fecit; aliàs Reus absolvetur, & ipse in pœnam incurrit. *Trip. II. Tit. LXXXVI.*

79. *Quando debet levari causa?*

In termino per citationem præscripto; aliàs Reus comparere non tenetur, nec Judex contra citatum jus dicendi potestatem habet. a)

Fit hic Procuratoris constitutio, qui antequam se legitimet, causam proponere aut tueri non potest. Deinde Actio proponitur, verbis vel scripto tenus exhibetur Notario, in qua Actor jus sibi a judicio reddi petit, cujus modus, seu formalis esse potest.

Causa Levata Nobilis TT. ut A. contra Nobile TT. w I. Pro A. Procurator TT. per quem præmissa solemnitate protestatione exhibet litteras Relatorias super citatione legi.

simè confectas (hic eas exhibeat) & proponit hunc in modum. Penes Processum citationis hanc ob causam I. in jus vocari (Hic jam causa controversa congruè specificanda est & declaranda) Quæ si forte negaret concessa legitima Exmissione docere paratus sum. Hic judicialiter convicto Incto peto expensarum & fatigiorum A. refusionem adjudicari. In reliquo protestatur verbis plura.

Regulæ & Axiomata.

1. Partes & Judices Sphæra Actionis regulat.
2. Expressa nocent, non expressa non nocent.
3. Contraria allegans, non est audiendus.
4. Quod semel placuit, amplius displicere nequit.
5. Mutare quis consilium non potest, in alterius detrimentum:

TITULUS XVII.
DE COMPARITIONE.

80. *Quid est Comparitio?*

Est Incti in termino & loco sibi a Judice præfixis coram sedria per se vel per legitimum Mandatarium præsentia suæ declaratio.

Proposita itaque absolutaque Actione Actoris Notarius sedria compellat. I. Qui si præsens est Judicum est ante omnia amicabilem compositionem offerre ac tentare, si modo media se offerant, per quæ pax coalescere possit, ut neutrius conscientia gra-

gravetur. Semper enim præferenda est, certa pax speratæ victoriæ, aut Partibus adhuc deliberandi tempus indulgere & suadere.

81. *Quid si I. absens fuerit?*

Si I. absens fuerit, neque Sedriæ aut Præsidi se insinuaverit Notarius scribit, Pro I. *Nemo*. Et in Foro quidem civili Actoris acquisitione convincetur. In Foro verò ecelesiastico præcipuè in causis matrimonialibus in quibus Partium personalis comparitio requiritur, non debet citò contra I. propter illius non venientiam aut, comparentiam sententia pronounciari: verùm pro prima contumaci non comparitione, onus debet deponere antequam permittatur loqui. Pœna fl. 1. pro secunda fl. 2. in tertia posset totius causæ amissio & Actori sua prætenfio adjudicari. Præstat tamen omnia legitima media experiri, vel brachium Magistratus implorare, ut cogatur ad comparitionem. Ne si forte legitimum absentia impedimentum habuerit Judices a recto tramite aberrent. Quin & ipsæ partes litigantes sæpius se absentarent, si per simplicem absentiam Matrimonii vinculum illico solveretur.

82. *Quis est effectus non Comparitionis?*

Hic ut Reus in totali Actoris Acquisitione convincitur velut contumax. Hic tamen notandum.

1. Si ante occasum solis, priusquam candelæ accensæ fuerint, comparuerit, pro non comparente non reputatur, nisi citatio fuerit certam diei partem designando. Prout enim quis citatur, ita comparere tenetur: tota alioquin dies illa cedit comparitioni. *Art. XXXII. 1723.*

D. 3.

2. Sen-

2. Sententiam ob non comparitionem, seu per non venit pronunciatam, ante diem octavum a die proclamationis computando *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. XXXV.* Novellari verò articulo XXXII. 1723. Ante diem XV. Notarius extradare non potest. Ut interea non comparens legalem maturioris non comparitionis rationem adsignare valeat. a)

83. *Quæ sunt legales non comparitionis rationes?*

Habentur sequentes: 1. Si infirmitas in via, 2. Si exundatio aquarum retinuerit, 3. Si currus fractus, 4. Si equus claudus factus 5. & aliæ rationabiles causæ. v. g. Judicii locus non tutus, iter ob latrones non securum, mulieres excusat granditas, puerperium. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. XXXV. Trip. II. Tit. LIX.*

84. *Quis potest contumax haberi?*

1. Ille, qui legitime citatus, ac trina vice proclamatus, nec per se nec per alium comparuerit. *Art. XXXII. 1723.*
2. Quando ut citatus est non comparuit, aut tardè aut alia ex causa illegitimè. *Art. XXXV. 1729. Kitt. Cap. X. Q. 25.*
3. Quando præsens est, sed non defendit, vel a cœpta defensione desistit, aut e judicio absque judicis licentia recedit.
4. Non parendo sententiæ Judicis v. g. Jubentis præstare juramentum, exhibere instrumenta &c. Quod æquè cadere potest in Actorem, quam Reum. *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XLI. §. 8.*

85. *Quæ*

(a) *Steph Hussti Lib. I. Tit. XLI. §. 8.*

85. *Quæ est pœna contumaciæ?*

Si adversarius accuset & condemnationem petat, constetque judicialiter citatum, in totali Actoris acquisitione vincitur.

Regulæ & Axiomata.

1. Parendi necessitas caret culpa.
2. Qui tacet consentire videtur.

TITULUS XVIII. DE DILATIONIBUS.

86. *Quid est Dilatio?*

Est causæ pendentis de termino præfixo, in alium terminum Reo vel Actori a lege vel Judice, vel ex conventionione Partium data prorogatio.

Interveniunt enim quandoque rationes gravissimæ, quæ impediunt Actorem litem motam prosequi, aut Reum a respondendo prohibent, nunquam expetenda est Dilatio. Estque alia

1. *Legalis*, quam lex ipsa attribuit. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. XXXVIII.*
2. *Conventionalis*, quam Partium consensus largitur.
3. *Judicialis*, quæ arbitrio Judicis decernitur.

Rursum Dilatio alia est

(a) *Extrajudicialis*, quæ in initio ante ingressum litis petitur & datur ratione justissimi impedimenti;

D 4

ti;

(a) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XLIII.*

ti; quare quis comparere hoc vel illo tempore non debeat *Art. XXXII. 1723.*

(b) *Judicialis*, quæ *deliberativè* ex responsis Partium in iudicio decernitur, dicitur aliàs *Respirium*. Ubi lex terminum non posuit ab arbitrio Judicum pendet pro ratione personarum, temporis, locorum, aliarumque circumstantiarum ex consensu Partium intervallum determinare. a)

87. *Quid hic agendum?*

Dilatio impetrata ignorante adversario, eidem tempestivè significanda, ne inutiles faciat expensas secus a causante refundendas.

88. *Quis est effectus Dilationis?*

Quod ea durante officium Judicum conquiescat, nihilque agendum, aut innovandum, super qua Dilatio data fuit. 2. Quod habeat vim sententiæ interlocutoriæ ac perimat actum, qui in assignanto Dilationis termino fieri debuit; adeo ut Pars amplius audiri ea de re non debeat. b)

TITULUS XIX.

DE PROROGATIONIBUS.

89. *Quid est Prorogatio?*

Est Silentium litigandi, ad certum tempus, lege definitum. Prorogationes omnes sunt legales

(a) *Steph Hussti Lib. I. Tit. XLIII.*

(b) *Reiffenst. Lib. II. Tit. VIII. §. 4.*

legales, quia lex attribuit, ab arbitrio Judicum aut consensu Partium non pendent.

90. *Quales causæ prorogantur?*

1. Viduarum annuo luctûs tempore *Appr. Const. Part. IV. Tit. II. art. I. Kitt. IV. Q. 17. §. 4.*

2. Causæ in facto jurium possessionariorum & exhibitionis litteralium instrumentorum Passivè motæ.

3. Qui Reipublicæ aut studiorum causa absunt. *Trip. II. Tit. L. Notæ ad b. l. Appr. Const. P. IV. Tit. II. art. I.*

4. Qui captivi detinentur, usque ad eliberationem, tales enim usque ad reditum pro civiliter mortuis reputantur.

5. Tempore juristitiali *Art. XXIX. 1723.*

6. Causæ pupillorum ratione deponendi juramenti, usque ad legitimam ætatem. *Trip. J. Tit. CXXX.*

91. *Prorogatio à quo impetratur?*

A Principe.

92. *Quid si ad falsam informationem impetraverit?*

Tunc incurrit in pœnam emendæ linguæ. *Ulad. Decr. I. art. LXXI. i. e. centum florenis in duabus Judici, in tertia verò parte causanti vel læso deponendis. Trip. II. Tit. LXXII. Prorogatio in eadem causa semel tantum conceditur. b.)*

D 5

TITU.



TITULUS XX.
DE PARIUM PETITIONE.

93. *Quis nexus Tituli?*

Comparationem subsequitur Exceptio, quæ ex collatione & reperta difformitate Parium formari solet. Igitur de *Parium Petitione* hic agendi locus.

94. *Quid est Parium Petitio?*

Est copiam litterarum judicialium i.e. instrumentorum per A. in iudicio productorum, per Inctum ad plenioram causæ contra se propositæ notitiam, cautelam & futuram defensionem, de jure & consuetudine Regni semel tantum admittitur postulatio.

95. *Quot modis Reo Paria communicantur?*

1. *Judicialiter*, quando sine ulteriori præsentis responsione cum dilatione causæ in alium terminum danda decernuntur.

2. *Collateraliter*, dum statim tenetur respondere. *Kitt. IV. Q. 5.* Quæ dicenda potius est simplex productorum communicatio. Est autem talis communicatio non modo Parium, sed etiam originalium, semper & ubique concedenda; ut an non falsa vel vitiata sint a Reo examinari possint. a)

96. *Quid hic observandum?*

1. In Parium petitione dicendum: *I. petit par*; neque aliud est dicendum.

2. Par

(a) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XLIV.*

2. Par datur tantum Incto, Actori verò ex responsis Rei non conceditur.
3. Par datur in causis, penes simplicem citationem motis.
4. Par semel tantum datur.

TITULUS XXI. DE EXCEPTIONIBUS.

97. *Quis nexus Tituli?*

Naturaliter se unicuique defendere licet: licet itaque etiam Incto Actoris Actionem invalidare. Qui modus procedendi dicitur in jure civili *Exceptio*.

98. *Quid est Exceptio?*

Est defensio Incti, per quam Actionem Actoris contra se institutam, vult elidere, & efficere, ut causa condescendat, i. e. annihiletur Actio, ac si lis nunquam fuisset mota. *Actio enim Exceptione infirmata pro nulla habetur.*

99. *Exceptiones quomodo distinguuntur?*

Aliæ sunt

1. *Peremptoriæ*, quæ Actiones ita excludunt, & perimunt, ut alias resuscitari nequeant. *Kitt. IV. Q. 8.* Sunt quæ duæ.

(a) *Calumnia*, quæ versatur circa factum. *Trip. II. Tit. LXX.*

(a) *Pro.*

(b) *Præscriptio*, quæ versetur circa rem sub-
stratam. *Trip. I. Tit. LXXVIII. III. Tit. XV.*

2. *Dilatoriae*, per quas causa condescendit qui-
dem, sed eadem simplici via resuscitari potest.

Quot duplices sunt Exceptiones Dilatoriae?

Triplices.

Primò. Contra Forum, si sit incompetens, cu-
jus jurisdictioni Reus non subest. Incompetentia
verò est carentia legitimæ jurisdictionis, ut :

1. *Cum causa sit secularis*, proindeque ad fo-
rum ecclesiasticum non pertinet.

(a) Si sit *confanguineus*, interessatus, i. e.
commodum vel incommodum inde speret.

Art. XXVI. 1729.

(b) Si *passionatus*, metu, odio, amore, adfe-
ctus. *Procl. Tit. XIV.*

(c) Si ad ejus *Parochiam*, id est: *Diœcesin* non
pertinet. a)

100. *Quid hic notandum?*

1. *Judex & Judicatus distinguuntur*. Qui exci-
pit contra *Judicatum*, is adserit causam officio ejus
Judicis non competere; adeoque est objectio con-
tra officium *Judicis*. Sed qui excipit contra *Ju-
dicem*, is non officii qualitatem sed personæ su-
mit in quæstionem. b.)

2. Qui excipit contra *Forum*, semper excipit
etiam contra *Judicem*. Sed qui excipit contra *Ju-
dicem*, non semper excipit contra *Forum*. 1. Si
excipias, quod *Judex* sit suspectus, interessatus
&c.

(a) *Andr. Hufsti §. CCLXI.* (b) *Steph. Hufsti Lib. I.
Tit. XLV. §. 8. 9.*

&c. tunc Judex amovendus substituto alio manebit idem Forum.

3. Si occurrat Exceptio contra personam Judicis, ea ante alias est proponenda; alias enim si Reus vel unum actum judiciale coram eo gerit, censetur in eum consensisse, ita ut recedere amplius nequeat. *Kitt. IV. Q. 15.*

4. Qui Procuratorem coram aliquo Judice constituit, agnoscit duntaxat ejus auctoritatem in constituendo Procuratore; non verò auctoritatem in ordine ad meritum causæ. Unde non obstante facta coram eo procuratoria constitutione securè contra eum excipere potest.

101. *Secunda Exceptio qualis?*

Contra Actoratum, si non habeat legitimam standi in judicio personam. Actor legitimare activitatem. Incto ita postulante tenetur. a)

In Foro ecclesiastico non adeo attenditur legitimatio personarum, sed minores quoque vel illegitimæ ætatis sine curatore, nisi gravis sit causa personam standi in judicio habere possunt.

102. *Quid hic notandum?*

Distingui possunt

1. *Actor*, qui competentiam in instanti debet probare.
2. *Actoratus*, qui est jus aliquid ab aliquo acquirendi.
3. *Activitas*, quæ est capacitas litigandi.

103. *Tertia*

(a) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XLV. §. 22.*

103. *Tertia quæ est?*

Contra Processum. Incompetentia Actionis seu Processus est, cum quid alio & non lege præscripto Processu, vel via quæritur. Fit Exceptio contra Processum, etiam ob defectum alicujus circumstantiæ ex lege aut consuetudine requisitæ, ut sunt locus, tempus, personæ, &c.

104. *Quid de Exceptionibus observas?*

1. Exceptiones judicia contentiosa non debent remorari ad justæ causæ protelationem. Si itaque Partis Inctæ Procurator per inutiles Exceptiones tantum modo tempus protraheret, Judex potest, cum deliberatione ad meritum causæ compellere.

2. Non omnes perinde Exceptiones admittendæ sunt. Sed bonâ Judicum conscientia censendæ & discernendæ. In his generalis Regula est. *Illæ sola Exceptio est admittenda, quæ tanto Judicis deliberationi impedimento est, ut liberè & secundum jura non possit pronunciare, nisi illa diluatur.* Aliæ omnes rejiciendæ, tanquam Deo, bonæ conscientiæ odiosæ; bonæ verò causæ damnosæ. *Trip. II. Tit. LXXXVIII. §. 7. Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. XXX. art. XXXVIII. 1723.*

3. Ne in gravè litigantium detrimentum causa diu protrahatur, tribus tantum in eadem causa Exceptionibus remoratoriis uti concessum est. *Art. XLII. 1729. Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. XXX.*

4. Exceptiones prætermittas Judex opponere aut suggerere non potest. *Trip. II. Tit. LXXXII.* Ne simul Actor & Judex esse videatur, quod fieri nequit. *Trip. II. Tit. XXII.*

5. Reus excipiendo fit Aëtor secundum quid Exceptionemque suam probare tenetur.

6. In Exceptione personali proponenda, contra Judicem, Testem, &c. circumspectus esse debet. Nam infamiam, ignobilitatem, &c. & quæ obijciuntur, in continenti probare tenetur. Quod si verò defecerit in Proba, in homagio illius contra quam obijcit, convincetur ipsi læso persolvendo. *Trip. II. Tit. XXXVI. Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XLV. §. 21.*

7. Qui allegatis in Judicio contra se non contradicit, ea fateri præsumitur.

8. Quando A. contra I. factum allegat & I. negat, proba incumbit adfirmanti. ut qui obijcit adulterium, ille tenetur probare.

9. Si I. contrariam legem, vel factum alleget; aut testem non esse idoneum adfirmet; quoniam unusquisque præsumitur bonus donec contrarium constet. Inæto quoque incumbit Proba.

10. Si A. aliquid opponat Exceptioni vocatur *Replica*. I. verò ad eam responsio *Duplicatio*. Aëtoris responsio *Triplicatio*, Inæti *Quadruplicatio*. &c. Si per Duplicationem causa concludi non potest, oportet gravissimas adesse rationes. Ceterum Judices proniores sint ad allegationes meritum causæ concernentes audiendas, quam ad non necessarias exceptiunculas ruminandas.

105. *Quis est effectus Exceptionis dilatoria?*

Causæ condescensio, quæ est simplex ad statum priorem regressio, nihil alterutri Partium ad
judis

judicando. Evanescit tota causæ institutio, sed non prætensio. Nam per novam citationem potest Actor iterum resuscitare.

106. *Quid hic observandum?*

Occasione condescensionis consultò facit Actor, si super ea testimoniales a Judice extrahat; ne ex binaria citatione calumniæ arguatur. *Trip. II. Tit. LXX.*

Regulæ & Axiomata.

1. Nulla Regula sine Exceptione.
2. Exceptio declarat Regulam.
3. Exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis.
4. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.
5. Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multò magis admittendus.
6. Cui damus Actionem eidem & Exceptionem competere.
7. Agere videtur, qui Exceptione utitur. Reus enim in excipiendò fit Actor.
8. Exceptio, quæ non impugnat sententiam potest opponi in ejus executione.
9. Nemo prohibetur pluribus Exceptionibus uti, quamvis sint diversæ.
10. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.
11. Non est in mora, qui potest Exceptione legitima se tueri.

TITULUS XXII.
DE EXCEPTIONIBUS
PEREMPTORIIS.

Quæ sunt Exceptiones Peremptoriæ?

QUæ ita causas perimunt, ut nunquam re-
fufcitari poffint. Suntque *Calumnia*, & *Præ-*
scriptio.

Calumnia quomodo fumitur?

1. *Genericè*, aliquando pro malitia, feu dolo in
dammum & injuriam alterius. Unde calumniator
dicitur, qui falſa crimina ſcienter intendit, & puni-
tur pœna emendæ linguæ. *Kitt. X. Q. 28.*

2. *Specificè*, pro fraudulenta litis motione, eo-
que ſenſu hic occurrit. Itaque

Quid eſt Calumnia?

Eſt contra quempiam duplici ſub colore & di-
verſo tramite fraudulenta litis motio. *Trip. II.*
Tit. LXX.

Quis dicitur calumnioſè agere, ſeu in
calumniam incurrere?

1. Qui unam eandemque rem *duplici via* judi-
cialiter proſequitur, i. e. ſub uno eodemque titu-
lo coram diverſis Judicibus, aut coram eodem,
ſed diverſo Proceſſu.

2. Dum unam eandemque rem ſub *duplici colore*,
ſeu titulo judicialiter proſequitur, ut cum Poſſeſ-
ſionem quampiam, & titulo pignoris & jure per-
petuitatis, eodem Proceſſu acquirere nititur, vel

E

manu-

manutenere, si diverso Processu faciat, tunc calumniam non incurret.

3. Dum quis alterum super aliquo negotio absolutum reddit, & post modum ipsum vel hæredes ratione illius jure impetit: taliterquè unam eandemque rem, vel jam condonatum, vel sibi præstitam denuo acquirens intendit.

4. Dum quis causam Processu juris terminatam sine Novo judicio iterum suscitatur in forma primæ instantiæ. *Art. XXXIII. 1723.*

5. Si quis universa litteralia instrumenta Processu juris ab aliquo præterdit, quorum aliquod ipsemet habet. *Trip. II. Tit. XXXIV.*

Ex identitate rationis fit, quando quis rem quamcunque præ manibus habitam jura quærit ab altero. *Kitt. IX. Q. 17.*

6. Ex binaria citatione, cum quis alterum judicialiter jam citatum, ratione ejusdem rei, per eundem Judicem, ex eodem fundamento denuo curat citari. *Trip. II. Tit. XXV.*

7. Dum res eadem a duobus aut pluribus, diversis sibi non subalternis & ab invicem non dependentibus diversis actionibus quæritur. *Kitt. IX. Q. 17.*

8. Dum quis litigantium duobus Juridicis Remediis sibi contrariis utitur in eadem causa. *Art. XXXIV. 1729.*

9. Dum quis Novum iudicium cum Inhibitione impetrat, litteras tamen Relatorias infra terminum excipere negligit, per idque Actorem ab executione impedit.

10. Incur-

10. Incurrit in eam, qui causam quamcunque excepto crimine læsæ Majestatis. *Art. VII. 1715.* ad extremum Dicasterium provocaverit, ibidem instituendo appellando. a) *Art. XXV. 1622.* *Art. XXVIII. 1630.*

Calumniæ fundamentum quod est?

Dolus & fraus: quare non dolosè fraudulenterque egisse demonstrandum, qui in calumniam incurrisse prætenditur. Hic ignorantia juris neminem excusat, facti alieni sufficienter excusare videtur. b)

An Inctus possit incurrere in calumniam?

Potest dupliciter

1. Si se defendendo rem quampiam duplici titulo ad se pertinere alleget. contra mentem *Trip. II. Tit. LXXXII.*
2. Si duobus contrariis Juridicis Remediis utatur.

Quæ est pœna calumniæ?

Sunt floreni ducenti & perpetua causæ amissio. *Trip. II. Tit. LXX.* Multa pecuniaria in tertia parte adversario, in duabus verò partibus Judicibus cedit in instanti solvenda.

Calumniam exceptivè allegans in instanti comprobare tenetur, secus simpliciter causa illi abjudicatur. *Kitt. IX. Q. 26.* Et de causæ amissione, non verò de pœna *birságiali* intelligendum, si in proba deficiat, illud Brocardicon. *Calumniam al-*

(a) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XLIII.* (b) *Ibid. §. 4.*

legans & non probans, talione punitur. c) Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. XXXVII.

Jure canonico calumniam objiciens, sed in proba deficiens ab officio ac beneficio suspenditur donec se canonicè purgaverit. *Decr. Lib. V. T. II. Cap. 2.*

Pœna calumniæ secundum antiquas observationes consistoriales in Foro ecclesiastico in Transilvania fh. 12.

Regulæ & Axiomata.

1. Paris affectionis causa suspicionem fraudis amovet.
2. Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.
3. Scienti & consentienti, non fit injuria, neque dolus.

TITULUS XXIII.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

Quid est Præscriptio?

Est Exceptio peremptoria Actori opposita, qua ex qualificata possessione, dominium vel simile jus in re aliena sibi acquisitum, vel ex solo lapsu temporis ad agendum præfiniti, Actoris jus amissum adserit Reus.

115. *Quæ*

(c) *Synt. Jur. Ung. p. 85-91. Steph. Huszi Lib. I. Tit. XLVIII. §. 9.*

Quæ sunt Requisita Præscriptionis?

Secundum Jus canonicum, quod imitatur etiam civile, Requisita hoc versu comprehenduntur.

Non usu capies nisi sint tibi talia quinque

Bona fides, justus titulus, res non vitiosa,

Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

Primum Requisitum.

Bona Fides, quæ est sincera opinio, qua quis judicat se nihil agere contra jus alterius, nempe, possidendo rem, exercendo actum, vel omittendo, ut in nulla temporis parte, habeat conscientiam rei alienæ. Huic juri superveniens mala fides impedit Præscriptionem. a)

Secundum Requisitum.

Justus Titulus, qui est causa de se habilis ad transferendum dominium, vel jus ex qua possidemus. b)

Tertium Requisitum.

Possessio, quæ est detentio rei cum animo sibi ut suam habendi continuata nec interrupta.

Quartum Requisitum.

Tempus lege definitum, quod pro diversitate rerum & jurium est multiplex.

1. Momentaneum ut in defensione *Trip. III. Tit. XXI.* captivatio in loco delicti. *Trip. I. Tit. IX.*

2. Unius diei intra quam sententiam in Tabula Regia appellare licet.

E 3

3. Quin-

(a) Böhmer ad Decr. Lib. II. Tit. XXVI. §. 5.
Engau Lib. IV. §. CXXVI. (b) Steph. Husii Lib. I.
Tit. XLIX. §. 10.

3. Quindecim dierum, quibus comparens in iudiciis fixis expectatur. *Art. XXXII. 1723. Art. XXXV. XXXVIII. 1729.*

4. Sexaginta dierum, quibus Mandata expirant, si interea non fuerint præsentata. *Trip. I. Tit. XXXII.*

5. Unius anni ratione statutionis intra annum fiendæ. Nec non de violentis occupatoribus postea via facti non turbandis. *Trip. I. Tit. LXVIII.*

6. Unius anni & unius diei, quo cives & villarii præscribunt. *Trip. III. Tit. XV.*

7. Decem annorum, quibus consuetudo præscribit. *Prol. Tit. X.*

8. Annorum XXXII. quibus in genere omnes Nobiles inter se invicem & Fiscus Regius in Bonis secularibus præscribunt. *Trip. I. Tit. LXXVIII.*

9. Annorum XL. quibus in Bonis & juribus ecclesiasticis præscribitur. *Trip. I. Tit. LXXVIII.* Consuetudo contra jus canonicum præscribit. *Prol. Tit. X.*

10. Annorum centum, quo jus Regium *Trip. I. Tit. XXIII. XXIV. LXXVIII.* Ita etiam ex Privilegio Justiniani contra Ecclesiam Romanam centum annorum lapsu præscribitur. a)

11. Immemoriale, quod est tantum, ut nullus hominum de facto meminerit, quo cœpit aliquid fieri, possideri *Prol. Tit. X.* Vivum enim testimonium, qui de proprio sensu testetur, ultra LX. annos non subsistit. *Trip. I. Tit. XLVIII.*

In his si Personæ aut res sint Præscriptionis capaces, Præscriptio locum habet. b)

Quin-

(a) Böhm. ad Decr. Lib. II. Tit. XXVI. §. 9.

(b) Steph. Hufsti Lib. I. Tit. XLIX. §. 12.

Quintum Requisite.

Res sua natura præscriptibiles, i. e. ut sint objectum præscriptionis.

Quæ res nequeunt præscribi?

Ex sua natura præscribi nequeunt, quæ non sunt in commercio humano, aut a certo genere hominum privativè & ut propriæ possideri non possunt.

Tales sunt

1. Liber homo, ut fiat servus.
2. Res sacræ & aliæ, quæ specialiesanctione defenduntur, ut Portæ, muri civitatum.
3. Res publicis usibus servientes, ut plateæ viæ publicæ.
4. Res universales & communes.
5. Jura spiritualia ex ratione inhabilitatis ad possidendum, uti jus eligendi & consecrandi Prælatum.
6. Res merè facultatis, qui ex mero arbitrio, vel amicitia, liberalitate, familiaritate citra obligationem interveniunt. Nam ex his actibus præstitis vel omissis nullum jus alteri posset enasci. v. g. Tu per plures annos die Pentecostes in convivium acceptasti vicinum, inde non sequitur ergo & hoc anno teneris. Ratio horum omnium est, quia ejusmodi res publicæ & universales in nullius dominio sunt. c)

E 4

Jure

(c) Steph. Hussti Lib. I. Tit. XLIX. §. 13.

Jure civili Positivo præscribi nequeunt.

1. Bona impignoratitia nec ex parte dantis, nec ex parte recipientis. *Trip. I. Tit. LXXXI. LXXXII.*

2. Inter fratres & ratione Bonorum utrumque sexum concernentium *Trip. I. Tit. XLVI. LXXXVIII.*

3. Ratione dotalitii, & quartalitii per fratres sororibus solvendi. Sorores tamen præscribunt contra fratres in Bonis ipsas non concernentibus; quia tunc pro extraneis reputantur. *Kitt. IV. Q. 21.*

4. In metis rectificandis. *Trip. I. Tit. LXXXV.*

5. Universa Bona & Jura in captivitatem quorumvis infidelium incidentium usque quo revertantur. *Trip. I. Tit. XXIX.*

Anni etiam Præscriptionis sunt incapaces?

1. Quibus domestica bella geruntur. *Art. LXX. 1715.* Coloni tamen profugi huc non intelliguntur.

2. Quod ad Jura eorum, qui infra XVI. ætatis annum orphani effecti sunt. Præscriptio a XVI. ætatis anno computari debet. Si verò inchoata fuisset tempore Parentum, cum eorum morte dormire incipit, ac cum anno XVI. ætatis orphani, continuari. *Art. XXXVII. 1729. Steph. Hufsi Lib. I. Tit. XLIX. §. 15. 16.*

Præscribere non possunt, qui rem ut suam & cum animo possidendi adprehendere non possunt, sed rem alienam, alieno nomine possident. Tales sunt, Tutor, Curator, Provisor, Depositarius.

117. *Quid hic adhuc observas?*

Quod Præscriptio dicitur aliquando

1. *Dormire*, quando ejus cursus solum modo suspenditur; verum ita ut remoto impedimento tem-

pus

pus præteritum computetur, & connectatur cum sequente.

Dormit itaque respectu

(a) Orphani, usque ad XVI. ætatis annum. *Art. XXXVII. 1729.*

(b) Eorum, qui in captivitatem hostilem incidunt. *Trip. I. Tit. LXXIX.*

(c) Omnium grassantis belli tempore. *Art. LXX. 1715.* Ex identitate rationis etiam tempore pestis.

2. *Interrumpi*, quando tempus præteritum nihil valet amplius; sed debet de novo incipi. Fitque

(a) *Naturaliter*, quando post ejus inchoationem ex substantialibus ejus requisitis, vel unum deficit, ut bona fides.

(b) *Civiliter*, quando intervenit actus judicialis quo turbatur, præscribens. Tales actus sunt: Litis motio, Contradictio, Protestatio, coram Personis fide dignis, locisque authenticis facta. *Trip. I. Tit. LXXIX. Steph. Hufsi Lib. CC. §. 18.*

Regulæ & Axiomata.

1. Sine possessione Præscriptio non procedit.
2. Non plus præscriptum, quam possessum.
3. In dubiis melior est conditio possidentis.
4. Juris ignorantia in usucaptione non prodest.
5. Non valenti agere non currit præscriptio.
6. Viam publicam non itando populus amittere non potest, etiamsi centum annis non ivit.
7. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

8. Quod in initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.
9. Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.
10. Nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse haberet.
11. Qui contra jus mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.
12. Possessor malæ fidei, ullo tempore non præscribit.

TITULUS XXIV.

DE LITIS CONTESTATIONE.

*Quæ est Judicii ordinarii altera
pars essentialis?*

Litis contestatio, cujus præcipuum requisitum est, claritas & perspicuitas. Neque semper esset necessarius Procurator, ex causantium enim persona, vultu, gestibus, aliisque indiciis sæpe probabiliter posset emi veritas. Causæ verò post litem contestatam non sunt protrahendæ: neque jam datur regressus ad Exceptiones. *In Judicio enim non datur regressus.*

Quid est Litis contestatio?

Est meritoria ad Actionem contra se propositam Incti Responsio.

Quot

Quot modis fit?

Tripliciter.

1. *Adfirmativè*, dum Reus propositæ contra se Actionis meritum, seu factum expositum confiteatur. Tunc Actor liberatur a Proba, ex confessis enim recipit iudicium. Quia fassio coram jure facta, omne genus probationis superat. Unde mille i. e. infinitis testibus æqui paratur. Nec datur ab illa regressus ad negativam; licet a negativa deatur ad affirmativam. *Kitt. VI. Q. 19.*

2. *Negativè*, dum pure negat, sive addendo ut Actor probet, sive de hoc tacendo. Semper Actor probare debet. *Art. XXVII. 1729.*

3. *Qualificativè*, dum Actionem adfirmat, cur tamen id fecerit rationem adsignat. Quam nisi legitimam adsignaverit, & comprobaverit, ex confessis fertur iudicium. *Kitt. IV. Q. 18.* Non enim quævis ratio facti est legitima, cum nemo sibi Judex esse possit. præter paucos casus. *Sigism. II. Art. VIII.*

Quis est effectus Litis contestatæ?

1. Præcludit regressum ad Exceptiones dilatorias.
2. Quis & quid probare debeat, determinat.
3. Præcludit facultatem Actori causam deponendi, in causis violentiarum, pœnæ indebitæ obnoxiiis. *Art. XL. 1729. St. Hufsi Lib. I. Tit. XLVI.*
4. Non potest recusari Judex.
5. Neque Procurator revocari.
6. Actio seu libellus mutari nequit. a)

Regula.

(a) *Reiffenst. Lib. II. Tit. V. §. 5.*

Regula.

Lite non contestatâ ad testium receptionem procedi nequit. Nisi Aëtor vel Reus fuerit contumax. b)

TITULUS XXV.
DE CONFESSIONIBUS.

103. *Quid est Confessio?*

Est adseveratio ejus quod ab adversario objicitur. Estque

1. *Judicialis*, quæ fit in judicio, seu coram competente Judice, qua tali.

Extra judicialis, quæ fit extra locum judicii, & non coram Judice quâ tali.

3. *Simplex*, cum quis delictum fatetur, absque *qualificatione simpliciter*. ut occidi fratrem.

4. *Qualificata* dum adjicitur qualitas modificans. ut occidi fratrem, sed ex necessaria vitæ defensione.

5. *Expressa*, quæ fit verbis, scriptis, vel quocunque signo mentem confitentis exprimente ac declarante.

6. *Tacita*, quæ præsumitur ex aliquo facto, vel fingitur a lege. Ita qui ad interrogata jussus non respondet, censetur ea confiteri juxta illud. *Qui allegatis contra se in judicio non contra dicit, ea fateri præsumitur.*

7. *Discreta*, quæ fit cum expressione causæ, ex qua ortum ortum est debitum.

8. *Ind-*

(b) *Idem ll. 66.*

8. *Indiscreta*, quando nulla obligationis causa exprimitur.

9. *Spontanea*, quæ ultrò fit.

10. *Extorta*, quæ vi, metu, tortura, errore, dolo dicitur.

104. *Quis est effectus Confessionis?*

Varius & multiplex.

I. *Confessio* judicialis *Ritè facta*, contra confitentem plenè probat, eumque pro judicato facit haberi.

(a) Omnes Probationes pro confitente facientes reddit invalidas.

(b) Sententiam definitivam immutat, si confessis conveniens non fit.

(c) Causam reddit inapelabilem. *Art. XXX. 1729.*

(d) Atque omnem defectum Processus tollit.

105. *Quæ Confessio dicitur judicialis Ritè facta?*

Quæ fit I. a Majorenni.

1. Sponte, non verò extorta.

2. Cum pleno usu rationis, & advertentia, non a passionis æstu, irâ, odiò, abreptis.

3. Contra ipsum confitentem.

4. In Judicio.

5. Ex certa scientia, non ex errore facti, aut sub dubio tantùm.

6. Super re litigiosa.

7. Ne repugnet naturæ. Ut si quis confiteatur se occidisse Petrum, qui tamen actu vivit. Pro memoria hoc versu traduntur.

Major, sponte, sciens, contra se, ubi jus fit & hostis Certum, lisque favor, jus, nec natura repugnet. a)

II. *Confessio judicialis* qualificata, debet quoad substantiam acceptari, contra confitentem, non item, quoad qualitatem adjectam, nisi hanc confitens probaverit. *Kitt. VI. Q. 18. Ut si quis, dixerit vulneravi fratrem, sed ex mei defensa. Hanc qualitatem probare tenetur. b)*

III. *Confessio spontanea* in criminalibus valet ad condemnationem, & si fuerit sub spe impunitatis promissæ, quia non valent pacta contra publicam utilitatem.

IV. *Confessio per torturam elicit*a, in criminalibus non fecus valet, quam si post torturam legitimè adjudicatam coram judicio eam ratificaverit.

V. *Confessio judicialis Ritèfacta* retractari non potest, quo nemo præsumitur contra se temere fieri. Excipe

(a) Si revocatio fiat in continenti antequam recedatur a judicio.

(b) Nisi post intervallum revocare volens probet se errore manifesti juris, vel facti alieni esse lapsum.

VI. *Confessio extra judicialis*, quamvis spontanea semi plenè probat in judicio, igitur adversarium ab onere ulterius probandi non relevat. Nisi scripto sit exhibita aut in mortis articulo facta. a)

106 *Quid*

(a) *Reiffenst. Lib. II. Tit. XVIII. §. 1. Art. XVII.*

(b) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. XLVII. §. 3.*

(a) *ff. de confessis. Steph. Hussti Lib. I. Tit. XLVII. §. 8.*

106. *Quid hic adhuc observas?*

Summam in iudiciis requiri prudentiam, quomodo confessiones Reorum pro exploratis, facinoribus habeant, ne per confessiones in avia abducti conscientiam lædant. Non enim desunt exempla tædio vitæ, affectorum, contra se ea fatentium crimina homicidii, infanticidii &c. quæ minime commiserant. b)

Regulæ & Axiomata.

1. Non fatetur qui errat, nisi jus ignoravit.
2. Confessus pro iudicato habetur.
3. Confessus quodam modo sua sententia damnatur.
4. Propria confessio est optima Probatio.
5. Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

TITULUS XXVI.
DE EXMISSIONE.

107 *Quis nexus Tituli?*

CUm simplex accusatio ad aggravandum, vel simplex negatio ad absovendum non sufficiat; causantibus incumbit necessitas probandi. A&ori quidem ordinariè; sed & In&to cum talibus se circumstantiis defendit, quæ probam requirunt. Proba fit productione litteralium instrumento-

(a) *Idea Actio. Jurid. p. 203.*

mentorum; vel Testium viva fassione; aut ipso factô, cum quis coram sede judiciaria impingit. Ad probam verò legitimam in judicio vim habentem optimè instruendam requiritur justum temporis intervallum, quod dicitur *Exmissio*.

108. *Quid est Exmissio?*

Est illud respirium, vel justum temporis intervallum, quod litigantes a sedria ad prospiciendum de mediis & instrumentis legitimarum probationum per litteras & humana testimonia obtinuerunt.

109. *Quid hic observandum?*

Sequentia:

1. Quod jus expetendi Exmissionem pars litigans utraque habet. Justa enim petentibus ad sensus denegandus non est.

2. Quod semel tantum ad petitionem litigantium permittenda est. *Appr. Const. Part. IV. Tit. I. art. XIII. XIX.*

3. Quod petitione Exmissionis lis contestata dignoscitur. *a)*

4. Quod Testium receptio sine Exmissione, seu sedriæ auctoritate non valet in judicio, facit tantum ad Exponentis informationem, & futuram rei memoriam. Nisi sint tunc cum res moram non pateretur. v. g. Si testes peregrè profecturi essent, vel senio confecti, aut morbis obnoxii, aut tempore pestis cum verretur Exponens, ne ante legitimam fassionem deficerent.

Regu-

(a) *Mich. Varó Idea Actio. Juridic. p. 175.*

Regulæ & Axiomata.

1. Cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. *August.*
2. Melius est superflua admittere, quam necessaria omittere.
3. Ubi finis habetur, frustra media adhibentur.

TITULUS XXVII. DE PROBATIONIBUS.

110. *Quis Nexus Tituli?*

NEgatio fidem litis dubiam facit, iudicium vero certitudinem veritatis requirit. Actiones igitur inanes sunt, nisi de iis indubitata probationis fide constet. Non probata enim in jure habentur quasi non essent. Non quod jura deficient, sed quia non parent. Agendum ergo hic de Probationibus.

111. *Quid est Probatio?*

Est actus judicialis, quò judici de casu dubio & controverso per legitima & efficacia documenta, testesque & argumenta sufficientia fit fides. Probare est de re dubia Judici fidem facere. a) Constare enim debet Judici de rei veritate, non quidem necessariò *quoad rem ipsam in se*. Cum illa in se vel vera vel falsa sit, sed *quoad modum iudicii publicum*. Ita per duos testes satis probatur de veritate

F

tate

(a) *Idea Action. Jurid. p. 177.*

6. In persona detentus post effluxum tempus judicarium resignatur a Judice adversario, qui capitali sententia convictum extremo supplicio affici curat. *Trip. II. Tit. LV.*

7. Ratione minoris potentiae, debitorum, damnorum aliarumque injuriarum condemnatum tam diu apud se detinendi auctoritatem habet, donec ipsum & Judicem plenè contentet. *Trip. II. Tit. LVII.* interea tanquam unus de familia servire obligatur.

8. Executio a die convictionis intra annum regulariter peragenda est. Secus penes novam exmissionem suscitantur sententia, & facta *citatione reflexoria* respectu cuius fuerat convictus peragitur executio.

9. Executio si vitiosè peracta sit excessivè calculando, vel nimis parvi aestimando Bona Processu correctorio emendari potest. *Art. XXXII. XXXIII.*
1723.

10. In executione necessaria est sæpe Bonorum mobilium ac immobilium existimatio, quæ dicitur *alia condigna*, seu *competens*, *alia perennalis*, *alia communis*. Quomodo aestimatio facienda per commetaneos, aut alios vide *Steph. Hussti Lib. I. Tit. LIX.* Executores si in aestimando excesserit vel defecerint puniuntur fl. 200. *Ap. Const. P. IV. Tit. IV. art. I.*



tate in judicio, licet illi subornati, falsum a parte rei perhibeant testimonium. b)

112. *Quot sunt Probationum modi?*

Decem hic modos recensere possumus.

1. Per confessionem Rei propriam.
2. Per Præsumptionem. *Kitt. VI. Q. 6.*
3. Per Testes.
4. Per instrumenta litteralia.
5. Per evidentiam, seu facti notorietatem.
6. Per rationem naturalem. *Kit. X. Q. 25.*
7. Per oculatam revisionem. *Trip. II. Tit. XLI.*
8. Per jusjurandum. *Art. XXVII. 1729.*
9. Per torturam. *Art. XLIII. 1597.*
10. Per famam cum sermo a certo auctore oritur: quæ licet sit constans, tamen ne *semi-plenè* quidem probat. *Trip. II. Tit. XXVII.*

Facit tamen

- (a) Ad inquirendum contra nobilem diffamatum, non expressa personali actione sed tantum in genere.
- (b) Ad incarcerandum ignobilem in criminalibus, sed in civilibus incarcerationio ante convictionem locum non habet. a) Probationum hi modi apud Canonistas hoc versiculo continentur. b)

Affectus, sculptum, testis, notoria, scriptum.

Jurans, confessus, præsumptio, fama probavit.

113. Pro-

(b) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. L. §. 1.*

(a) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. L. §. 9.*

(b) *Reiffenst. Lib. II. Tit. XIX. §. 1. art. XVIII*

113. *Probatio quomodo dividitur?*

Primò In uniformem, quæ uno modo fit, ut per testes tantum.

Et *Mixtum*, quæ fit per modos diversos simul junctos, ut per testes & litteralia instrumenta.

Secundò. In Plenam, quæ facit Judici plenam fidem, ad ferendam sententiam definitivam, ut cum sunt duo testes omni exceptione majores.

Semiplenam, quæ probat equidem, sed Judici non sufficit ad ferendam sententiam ut, unus testis, vel fassio extrajudicialis.

Minus quam Semiplenam, quæ parit tantum opinionem, quantumque in judicio valeat, arbitrio Judicis relictum.

114. *Quot testes ad Plenam Probam requiruntur?*

Duo sufficiunt omni exceptione majores, quos leges admittunt ad ferendum testimonium, id est, pleni perfectique judicii, honestæ famæ probatæ fidei, nobili prærogativa gaudentes. *Vide de hac Quæstione eximium discursum in Idea Action. Juridicar. pag. 178. - 184.*

Probatio regulariter incumbit Actori, sed Reus quoque aliquando probare tenetur.

1. Ratione Exceptionis quod adfirmat. *Kitt. VI. Quæst. 4.*
2. Si Reus fiducia sui juris onus probandi in se adsumat.
3. Dum Reus litem *qualificativè* contestatur.

4. Si Actor ab onere probationis sit privilegiatus uti Fiscus Regius. *Trip. II. Tit. XXXIX.*

115. *Quæstio probanda qualis est?*

1. Est vel *Quæstio Facti*, cum de Facto quæritur, an revera fecerit?
 2. *Quæstio Juris*, cum de Jure quæritur, ut si fuerit, quid Jura de facto tali statuunt, qua pœna fit afficiendus. a)

Regulae & Axiomata.

1. Actori incumbit Proba.
2. Adfirmantis est probare.
3. Judicis est ante probationem, neminem damnare.
4. Notoria & manifesta non esse probanda.
5. Quæstiones juris probationibus non indigent.
6. Reo neganti nulla incumbit probatio.
7. Negantis per rerum naturam nulla est probatio.
8. Si æqualis utrinque probatio, contra eum pronunciandum, qui probare debuit: nisi favorabilis causa concurrat, pro qua in dubio pronunciandum. a)
9. A Probatione immunis esse debet, qui vel præsumptionem, vel possessionem pro se habet.
10. Excessus notorius examinatione non indiget.
11. Error in syllaba non nocet. *Bartolus.*
12. Ubi opus est facto non sufficiunt verba.
13. Nul-

(a) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. L. §. 3.*

(a) *Böhmer ad Decr. Lib. Tit. XIX. §. 10.*

13. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

14. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

15. Obscurè & nihil respondere paria sunt.

TITULUS XXVIII. DE PRÆSUMPTIONIBUS.

116. *Quid est Præsumptio?*

Est anticipata de re dubia opinio, ex indiciis per rerum circumstantias frequenter evenientibus desumpta, sicut ex legum determinatione procedens. *Kitt. VI. Q. 8.*

117. *Præsumptio quomodo distinguitur?*

Præsumptio alia dicitur

1. *Hominis*, quæ formatur ex indiciis a viro prudente, pro vel contra aliquem; jure tamen expressa non est. v. g. Clodius fuit inimicus Milonis occisi in platea, ubi eadem nocte visus est Clodius. Præsumitur ergo a Clodio Milonem esse occisum.

2. *Juris*, quæ jure est introducta. *Sic jura præsumunt, quemlibet esse bonum, donec probetur malus.* Nemini adesse sensum ad jura sua gubernanda infra legitimam ætatem.

3. *Probabilis, Gravis, vel Discreta*, quæ fundatur in indiciis, verisimilibus & cum effectu frequenter conjunctis. *Ut puella frequenter cum viris conversatur, ergo parum verecunda præsumitur.*

4. *Violenta, vehemens, seu vehementissima*, quæ oritur ex indiciis vehementibus & cum re vel facto, quod præsumitur ordinariè & ferè semper conjunctis, ita ut dubio locus quasi non amplius superfit. *Ut si nudus cum nuda in loco obscuro deprehendatur præsumitur fornicatio.*

118. *Distinguitur & Præsumptio Juris.*

1. *In Juris tantum*, quam jura equidem faciunt, sed in contrarium admittunt probam. *Ita testis sub juramento legitime factus præsumitur vera dixisse.*

2. *In Juris & de Jure*, quam non tantum faciunt & expriment Jura, sed ita pro veritate habent, ut directè in contrarium nullam admittant probationem. Ut dum quis obligatorias dat super debito, præsumitur alienam rem accepisse. Nec proba directè admittitur in contrarium, nisi se ebrium, aut metu impulsus ostenderit. *Art. LIII. 1715.*

119. *Quis est effectus Præsumptionis?*

1. Præsumptio Hominis, violenta probat *semiplenè* in civilibus, minus in criminalibus.

2. Probabilis minus quam *semiplenè* in civilibus, in criminalibus verò instar suspicionis habenda.

3. Præsumptio Juris tam Probabilis, quam violenta *plenè* probat, ac pro veritate habetur, non absolutè, sed sub conditione, donec contrarium probetur.

4. Præsumptio Juris & de Jure, ita *plenè* probat, ut non admittat probationem in contrarium a)

120. *Præ-*

(a) *Idea Act. Jur. p. 185. S. Husii Lib. I. Tit. LI. §. 7.*

120. *Præsumptio quomodo tollitur?*

1. Per confessionem propriam in iudicio factam.
2. Per evidentiam facti.
3. Per allegationem notorii.
4. Per instrumentum publicum. Quia adveniente veritate cessat dubium, circa quod versatur Præsumptio.

121. *Quid est Suspicio?*

Est levis opinio contra aliquem, de re aliqua, quasi per ipsum patrata, ex propriis rei illius antecedentibus, infitis, vel etiam consequentibus illam concepta; æquè se habens ad verum, quam ad falsum. Unde ferè nihil probat, cum sit nuda opinio. *Kitt. VI. Q. 7. Art. XL. 1630.*

Regulæ & Axiomata.

- I. Omnis præsumptio debet cedere veritati.
2. Nemo ex solis conjecturis, quamvis vehementibus condemnandus est.
3. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.
4. Semel malus semper præsumitur esse malus. Rumor de veteri faciet ventura timeri. Cras poterunt fieri turpia sicut heri.
5. Fictio juris idem operatur in casu ficto, quod veritas in casu vero.
6. Fictio non trahitur ad illa, quæ sunt impossibilia secundum naturam. Quia fictio imitatur naturam.
7. In maleficiis actus bonus non præsumitur.

TITULUS XXIX. DE INQUISITIONE.

122. *Quid est Inquisitio?*

Est receptio fassionum mediante personarum fide dignarum ex auctoritate superiorum facta.

Jure canonico Inquisitio est, qua Judex ecclesiasticus, sine ullo accusatore ex officio inquit in veritatem criminis commissi, cujus quis per clamorem publicum insimulatus est. *a)*

123. *Inquisitio quomodo dici solet?*

Primò. Collateralis, quæ non a sedria obtinetur, sed *extrajudicialiter* ad latus pro sola informatione peragitur. *b)*

124. *Quid de hac collateralis Inquisitione notandum?*

1. Quod hæc non probat in judicio, nisi testes in præsentia Judicum sub examen revocati fuerint, vel medio tempore fati cessisse eos constaret. *Kitt VII. Q. 10. c)*

2. Fit ut plurimum penes *Mandatum Regium*, quod a Protonotario, aliisque Personis authenticis extrahitur, cujus virtute tenentur universi requisiti

(a) *Böhmer Lib. V. Tit. I. §. 10 - 13.*

(b) *Idea Act. Jurid. p. 195.*

(c) *Propter celeriozem juris cursiam aliquid hic immutavit consuetudo.*

quisiti, utriusque sexûs, cujuscunque status, dignitatis & conditionis homines testimonium præbere.

3. Sicuti talis Inquisitio in judicio non tenet, ita in Matrimonialibus causis non solet esse in praxi. Nullius enim honorem licet vellicare sine Judicis facultate, sub onere vivi homagii, id est, dimidiæ partis ipsius pœnæ, quæ secundum cujusque statum & conditionem pro integro vel mortuo homagio solet haberi.

4. Puncta Deutri seu Interrogatoria, quæ juri bus suis proficua, aut necessaria censet, inquirenti communicantur. Personæ testium ad examen revocandæ denominantur. Et quia non omnes omnium punctorum notitiam habent, *classificativè* eos specificat. Hos huic alios alteri Puncto applicat. v. g. Ad 1. & 2. Thomam, Paulum, ad 4. & 5. Vesalium Stephanum &c. examinandos.

5. Puncta Adversario communicari ne testes infascinet, non debent. Nec cum testibus ante examen, ne collusio fiat.

6. Per Inquirentes qui Regii dicuntur, citantur testes in præsentiam sui, sub pœna XVI. Marcarum gravis ponderis, i. e. fh. 64. Art. XVIII. 1563. ignobiles scilicet & inferioris sortis nobiles: alios verò ipsi adeunt. Kitt. VII. Q. 15. Tunc declarant, a quo missi & quid velint, communicatisque si testis exposcet Punctis ne forte inutiliter depo- nant juramentum. Si nempe contra se cogeren- tur fateri, aut notitiam rei ut Procuratores habe- rent. Præmitti debet exhortatio ad ineruditos, ut seposito omni humano respectu notam rei veritatem fateantur.

7. Responsa super Punctis interrogatoriis facta excipiuntur, & in scriptum rediguntur, ut inconsideratè dicta forte corrigantur.

8. Nomen, cognomen, ætas, status, cujus loci incola, & quid citatus, juratus, examinatus factus sit adscribuntur. Conscriptis passionibus nomina sua subscribunt, Judici vel Principi cujus Mandato inquisitionem perfecerunt, inscribunt, sigillisque suis muniunt. Exponenti transponunt, qui Protonotario, aut Personæ alteri authenticæ exhibet. Is adscribit *Apertæ Anno diei, nomine suo & officii signato*. Tandemque iis apertis Exponens legere potest, & uti.

125. *Quomodo secundò?*

Coram facie Juris vel in figura sedis, ubi testes examinantur. Fitque hoc quando collateralis Inquisitio perlegitur, & interrogantur, an suas esse passionibus agnoscant. Aut nulla præhabita collateralis inquisitione, testes designati in examen vocantur per Judices aut personas in judicio designatas.

126. *Quomodo tertio?*

Inquisitio Judicialis, quæ fit per Regios ad Instantiam Partis per Judices deliberativè exmissos, non pauciores quam duos.

127. *Quid hic notandum?*

i. Quod Notarius ex ipsa Actione *s. Levata*, utra, deutra, vel de eo utra, seu Puncta interrogatoria elaborat: aut jam per Procuratorem formata Exponens illi ad authentizandum exhibet; qui extradat, quæ Regiis porriguntur. a)

2. Ex

(a) *Punctorum hæc authentizatio in quibusdam Diocesibus in desuetudinem abiit.*

2. Ex consensu Regiorum tempus & locus præfiguntur, ubi vi Mandati superiorum testes ad dicenda testimonia, & ad examinandum secundum Deutri puncta cum omnibus congruis circumstantiis convocantur. Si qui autem comparere vel fateri nollent, pœnam neglecti Mandati incurrunt. *Trip. II. Tit. XXVIII.* Nec tamen erunt immunes a fassione, ne quid occulti in causis delitefcant, & controversiæ in decisæ maneant, aut infinitæ evadant. Fassiones verò legitimè ad quindecim dies debent reportari, nisi ambæ partes de longiori aut breviori termino convenerint.

3. Testes priusquam examinentur a Regiis tempore consueto & loco congruo, ad fidem Deo debitam juxta formulam ipsorum Religione convenientem tenentur Juramentum deponere, quod juxta notitiam conscientiæ velint fateri. Nulli enim testi sine depositione Juramenti plena fides in judicio adhibetur.

4. Præstito Juramento ante ipsam fassionem, quisque testium interrogandus, quo nomine & cognomine vocetur. cujus sit ætatis, cujus conditionis, Nobilis an ignobilis, cujus loci incola, colonus, servus &c. quæ omnia & aliæ circumstantiæ cum ipsis fassionibus, litteris Relatoriis inferenda sunt. Ut cognitis testis qualitatibus ætate, conditione, fama, fide &c. Si necessum fuerit exceptio contra ejus fassionem formari possit.

5. Regii in absentia Exponentis & partium disceptantium singulos testes seorsim examinent, & quidem si fieri possit ante prandium, quam magis præsumuntur sibi esse præsentem, de singulis

Punctis distinctè interrogando. Et quoad fieri potest non tantum responsio, sed formalia verba cujusque connotanda; quæ coram ipso fatente tandem prælegantur, tum ut constet, an rectè intellectus sit testis, tum ut se corrigere si quid inconsideratè respondisset, possit. Testis autem debet passionis suæ sufficientem rationem adsignare, unde id quod adserit, sciat, quomodo ubi & a quo audierit, viderit, quam nisi dederit fide carebit. *Trip. II. Tit. XXVII.*

6. Cum circumstantiæ rem mutant, vel declarent non tantum ea, quæ Parti inquirenti deseruiunt, sed omnia & singula ad rem enucleandam & adsequendam justitiam de re inquisita & per testes cognita, tenentur Inquisitores connotare Testium verò passionem non *relative* unius ad alterum e. g. Sicut fatetur primus, secundus, sed prout quisque fatetur expressè una cum adjuncta ratione adscribere, boni & feduli Inquisitoris est.

7. Quamvis una Inquisitio ex lege sufficiat, si tamen prima Inquisitio adpareat manca, obscura, tanto magis suspecta; videaturque aliquid desiderari ad plenariam causæ cognitionem admitti potest, etiam secundaria Inquisitio ex Judicum discretione ad plenariam sedis informationem aut ex partium consensu. Volenti enim non erit injuria.

128. *Quid censes de Adtestationibus
& Recognitionibus?*

Inefficaces sunt Adtestationes, Recognitiones per clausulas *bona fide, in veritate in conscientia*, conceptæ cujuscunque status & conditionis personæ sunt.

Illæ

Illæ enim non sunt formulæ jurandi, testimonii verò firmitas est depositio juramenti. *Trip. II. Tit. XXXII. Idea Act. Jurid. p. 193 - 196.* Aliquando tamen *collaterales Adtestationes* contra nefarios sine residentia existentes *semiplenam probam efficiunt.* *Appr. Const. P. III. Tit. XLVII. art. XVII.*

129. *Quantam vim habent V. D. Ministrorum, & Officialium Adtestationes?*

Si simpliciter adtestentur, aut recognoscant, efficaciam non habent. Si verò Recognitiones instituant, hac vel simili forma: *Recognoscimus sub juramento, quoad officium obstricti sumus*, sunt efficaces. Quia si in his modum non servarent; pœnam perjurii incurrerent, æquè ac si specialiter in substra materia jurassent. Quod evincitur a paritate argumentationis fundatæ. *Trip. II. Tit. XL. Idea Act. Jurid. p. 194.*

130. *Quid de prægnantibus mulieribus?*

Mulieres prægnantes Privilegium habent Regni nostri consuetudine sine prævio juramento ad Puncta interrogatoria respondendi. At verò earum fassio in judicio civili parum in criminali nihil probat. *Tyrocin. Ungar. p. 247.*

131. *Quomodo quarto dicitur Inquisitio?*

Communis Inquisitio, quæ aliquando in jure locum habet.

132. *Quid est communis Inquisitio?*

Est dubietatis ex responsionibus litigantium coram Judice emergentis per adtestationes testium certa declaratio. *Trip. II. Tit. XXVII.* Seu est dubiæ

dubiæ causæ coram Judice per testes pro utraque parte serviens declaratio-

Ufus judiciarius locum illi reliquit, dum & quando Judex ex productis in Foro contradictorio Partium instrumentis nulla legitima & sufficienti ratione, & per nulla media ipotest sententiam eruere.

Fit itaque eruendæ veritatis causâ, aliquando autem sive consentiant, sive non. Nihilominus ad eruendum e perplexis dubiis id, quod verum est; & non raro ad fulciendam Judicum conscientiam, ipse Judex communem Inquisitionem decernit.

133. *Quid de hac notas?*

Quod in hac Inquisitione Puncta interrogatoria pro utraque Parte eadem & non diversa esse debent. Regii iidem, uno & eodem loco ac tempore Inquisitionem peragent; quam ad Judicem competentem suo modo referent. *Tripert. II. Tit. XXVII. XXXI. XXXII. Idea Action. Jurid. p. 196. Tyrocin. Jur. ad Trip. p. 235.*

134. *Quid si aliquis fateri nollet?*

Cogi possunt omnes cujuscunque statûs & conditionis: Reipublicæ enim interest veritatem in judicio non occultari, sed manifestari.

Excipiuntur

1. Privilegiati, seu excusati, ut Parentes & alii Ascendentes contra liberos & vice versa. a)
2. Quod quis novit *sub sigillo sacramentali*, in jure Pontificio, ut confessionarius. b)
3. Quod

(a) *Tyrocin. ad II. Tit. XXVIII. §. 18. p. 252.*

(b) *Böhm. Lib. II. Tit. XXI.*

3. Quod quis novit *sub secreto naturali*. v. g. Si modo injusto notitiam acquisivit: fuit complex, socius criminis. *Quia nemo tenetur contra se esse testis*, nisi grave discrimen reipublicæ, aut Privati innocentis inde dependeat. c)

4. Si quis notitiam delicti, vel alterius secreti per injuriam accepit. v. g. Litteras alterius aperiendo. d)

135. *Quæ est Pœna Inquisitionem non admittentium?*

Pœna eorum, qui Inquirentes Regios pro inquisitione peragenda in Bona sua non admitterent, vel se tuosque subditos dolosè subducerent, aut prævia cautione a perhibendo testimonio quovismodo impedirent.

1. Si inquisitio pro Magistratu peragatur ratione publicorum criminum fh. 100. abscissis omnibus juridicis remediis, consueto juris ordine defumendi toties quoties.

2. Si pro privato, & ratione negotiorum privati, tunc fh. 64. quibus testari nolentes castigantur.

3. Si communem inquisitionem pars alterutra turbet, pœnam majoris potentiaë incurrit, & causam amittit. e)

4. In celebratione communis inquisitionis testis recusans statim puniri potest. XVI. Marcis. *Trip. II. Tit. XXVIII. Tyrocin. ad b. l. §. 14. p. 251. Art. LXXXI. 1563.*

136. *Qui*

(c) *Steph. Hufsi Lib. I. Tit. LII. §. 24.*

(d) *Tyrocin. ll. CC. §. 23. p. 254.*

(e) *Steph. Hufsi Lib. I. Tit. LII. §. 24.*

136. *Qui possunt esse Inquisitores?*

Recte ii, qui ad Judicis Parochiam, i. e. territorium pertinent. V. D. Ministri, Scholarum Rectores, ecclesiarum Cantores, Æditui. Potest adhiberi etiam secularis honestae famæ & conditionis Nobilis aliquando pro altero; utrique e statu seculari in Foro ecclesiastico non admittuntur.

137. *Quod est officium Inquisitorum?*

Quod Testium fassiones nulli manifestent, maxime Parti adversæ; verum easdem bona fide in litteras testatorias referentes, propriis manuum subscriptionibus muniant, ac Sedriæ, quæ facultatem inquirendi dedit, intitulent.

Deinde Exponens ad apertandum transferat ejusdem Sedis Præsidi vel Notario; consequenterque accepta facultate legendi, aliis quoque earum notitiam facere potest, ac pro tuenda sua causa iisdem uti. a)

TITULUS XXX.
DE TESTIBUS.

138. *Quid est Testis?*

Est persona idonea, quæ in judicio de re controversa legitimo modo fidem faciat, seu. Est persona fide digna, hunc in finem producta, &

(a) Confer si placet de Inquisitione quæ habet Syntagma Juris Ung. p. 267 - 271.

& juramento obstricta, ut de eo quod probandum est fidem faciat. Ergò non aliis creditur testibus, quam fide dignis, qui veritatem dicere possunt, & præsumptionem pro se habent, quod veritatem dicere velint. a)

139. *Quis potest esse testis?*

Omnis, qui nullo jure prohibetur a testificando. Prohibentur autem quidam

Primò Jure naturali tales sunt:

1. Qui laborant defectu mentis, ut infantes furiosi, extra tempus, quò lucida habent intervalla ob rationis carentiam.
2. Surdi de auditu, cæci de visu. Quia qui caret sensu caret etiam notitia rerum sensibilibum. In Judicio tamen quandoque respondere possunt. *Kitt. X. Q. 29.*

Secundò. Jure positivo tales sunt:

1. Infames, infamia facti æque ac juris notati. *Trip. II. Tit. XXIX. XXX.*
2. Impubes ac pupilli propter immaturitatem judicii. *Trip. II. Tit. XXVII. I. Tit. CXXVI.*
3. Perjuri. *Trip. II. Tit. XXX.*
4. Qui non sunt Christiani. *Steph. Lib. II. Cap. 3.*
5. Qui in testificando falsus fuit repertus. Hi prohibentur absolutè.

Tertiò. Prohibentur alii in certis causis, vel contra contra certas personas testimonium exhibere.

1. Ignobilis contra nobilem in causis criminalibus, sed non absolutè, verum donec testimo-

G

nio

(a) *Böhmer ad Decr. Lib. II. Tit. XX. §. 1.*

- nio nobilium probari potest. *Art. XXVI. 1729.*
 Exceptis officialibus æconomicis quorumvis Nobilium, qui hac in parte vi officii pro nobilibus reputantur. *Trip. II. Tit. XXVII.*
2. Quibus a causa vel re probanda commodum vel incommodum dependet.
 3. Incolæ loci, ratione territorii sui. *Trip. II. Tit. XXVI.*
 4. De rebus ante sexaginta annos gestis prohibetur omnis ob defectum memoriæ quem lex in ejusmodi decrepitis præsumit. *Trip. I. Tit. XXX. XLVII.*
 5. Socius criminis in causis natura sua non adeo occultis. *Kitt. IX. Q. 12.* Tales nec pro socio nec contra socium testes esse possunt. *Kitt. VI. Q. 5. Tyrocin. p. 244.*
 6. Testis inconstans pro utraque parte examinatus, & difformiter fatens, in causa illa pro neutra parte acceptandus, nisi semet incontinenti correxisset. *Kitt. VII. Q. 12.*
 7. Quilibet in causa propria, quia nemo sibimet testis esse potest. *Art. XLI. 1723.*
 8. Judex in causa, quam judicat advocatus Plenipotentarius. *Trip. II. Tit. XXII.* Quia pro eadem persona cum principali litigante habentur.
 9. Membrum communitatis in causa tali, ex qua in singula communitatis seorsim membra redundat commodum ex ejus testimonio, non autem in utilitatem communitatis, qua talis, excepto casu territorii.

10. Extranei in causis ratione hæreditatum civilium. *Trip. III. Tit. XII. Steph. Husſi Lib. I. Tit. LII. §. 3. 4.*

Quartò. Prohibentur testari contra certas personas velut

1. Gravi laborans inimicitia contra inimicum. quia odio pervertitur veritas. *Prol. Tit. XIV. Idem dic de passionatis.*

2. Parentes contra liberos & hi contra parentes fratres & sorores contra se invicem. Conjuges contra se, Vitricus contra privignum, focer contra generum & vicissim. Quia inter has personas specialis amor, reverentia & concordia observatur. Atque ex hinc præsumunt jura verè non fateri. Secus tamen dum grave damnum Principi, aut reipublicæ inde dependeret. *Trip. I. Tit. LII.*

3. Subditi vel servi pro vel contra Dominum suum in causis criminalibus ex ratione reverentiæ & metus, nisi cum veritas erui secus non potest. *Art. XXVI. 1729.*

4. Advocatus contra Principalem, tutor & curator contra pupillum suum, & minorem, administrator, syndicus & contra suos principales in causis sibi commissis; quia pro eadem persona reputantur.

5. Socius contractus pro socio. *St. Husſi Lib. I. Tit. LII. §. 5.*

140. *An prænotati inhabiles testes ad testificandum nunquam sint admittendi?*

Si sint inhabiles

1. Jure naturali nunquam, quia contra jus naturale leges humanæ non valent. *Prol. Tit. IX.*

2. Si jure humano sunt inhabiles, aliquando admitti possunt.

(a) Si a Partibus rogentur, & sic positivè adprobentur.

(b) Si negativè adprobentur, i. e. si non excipiat Pars adversa, nec a Judice repellantur.

(c) Si procedatur summarè, & negotium sit leve, ut exactæ probationes non requirantur.

Judicis tamen arbitrio committendum est, quantum fidem mereatur testis aliquo defectu non laborans & expresso jure non rejectus. Jure verò rejectos rejicere debet, quia non arbiter, sed minister est legis, nec potest esse clementior lege.

141. *Quales debent esse testes?*

Omni Exceptione majores, i. e. qui repelli non possint quavis exceptione. a)

Necessaria igitur testium requisita sunt.

1. *Libertas*, ut liberè & non coactè vel beneficio allectus, aut timore impulsus testimonium perhibeat.

2. *Ætas* sit legitima.

3. *Modalitas* an visu vel auditu sciat. Testis enim ut dicta vera esse credantur, rationem scientiæ dare debet. *Trip. II. Tit. XXVII.* Falsiones per formulas *Si bene memini, ni fallor.* &c. rejiciuntur. Quia carent positiva scientia. *Auditus* est vel immediatus, cum quis ex ore delinquentis percipit immediatè, tunc probat ut scientia visu percepta. Vel *mediatus* cum quis ab alio, huic audita referente percipit; huic in jure fides non datur.

4. *Con-*

(a) *Reiffenstuel Lib. II. Tit. XX. §. 1.*

4. *Conditio*, an sit nobilis, servus, bonæ ac honestæ conditionis. *Kitt. VI. Q. 4. Art. XXVI.* 1729.
5. Juramenti depositio, testi enim non jurato non creditur, nisi Partibus sic volentibus. *Testium* requisita hi versus tradunt.

Ætas, conditio, sexus discretio, fama

Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

142. *Quot testes faciunt plenam fidem?*

Duo testes omni exceptione majores, de veritate ex proprio sensu deponentes, ordinariè plenam faciunt fidem; ita ut sententia desuper ferri possit & debeat. *Art. XXVII. 1729. Prol. Tit. XV.* Sed unus testis quantumvis excellentis dignitatis regulariter tantum *semiplenè* probat. Unde illud: *Unus testis nullus testis*, i. e. ad plenè probandum. Nisi accesserit juramentum Actoris suppletorium, tunc enim plenè probat. *Böhmer Lib. II. Tit. XX. §. 6.*

143. *Quid de testibus observas?*

Quod testes aliquando dicantur *singulares*, dum non conspirant, seu non idem adseverant, sed quilibet in suo testimonio sit singularis, quo ad locum, tempus, vel aliam circumstantiam. Seu. dum quilibet super eo, quod adseverat, sit unus solus.

Singularitas testium alia est

1. *Obstativa*, quando unus testis repugnat alteri, v. g. Si idem delictum adserat unus hoc loco, alter in alio patratum. Testes igitur singulares singularitate obstativa nihil probant; quia mutuo se evertunt.

2. *Diversificativa*, quando testes sibi mutuo non repugnant, fatenturque de diversis actibus, sed non contrariis, nec tamen se adjuvantibus. v. g. Si unus dicat mutuum datum Tor-dæ, alter Cibinii. Quia utrobique potuit esse. Testes igitur singulares singularitate diversificativa faciunt semiplenam probationem, sicut testis unus; quia vero contestes circa idem factum non habet, plenè non probat.
3. *Cumulativa*, Si testes fatentur de diversis quidem actibus, sed mutuo se adjuvantibus, seu unum eundemque finem explicantibus & effectu; quando actus est successivus vel plures habet partes integrales. v. g. Unus vidit, quod fures versus ædes jam expilatas, scaldas tulerint, alter dum per fenestram intraverint, tertius cum exierint, quartus dum res depilatas portaverint. Testes singulares singularitate cumulativa plenam efficiunt probationem etiam in criminalibus. Quia hujusmodi testes concordant respectu ejusdem finis ad quem tendunt per diversa media; adeoque non tam singulares, quam contestes dicendi sunt. a.)

144. *Quid porrò?*

Quod testis quidam dicitur.

1. *Varians*, qui in dicto suo non stat firmus; sed diversa, non tamen directè sibi contraria dicit, si se in continenti correxit probat. *Bœhm. Lib. II. Tit. XX. §. 13.*

2. *Contrarius*, qui directè contraria & inter se pugnancia adserit. Estque

(a) Con-

{a) *Steph. Hufsti Lib. I. Tit. LII. §. 19.*

(a) *Contrarius sibi ipsi*, qui pugnantia adserit.

Hic nihil probat, est enim vacillans & rejiciendus. *Kitt. VI. Q. 12.* Et tanquam perjurus puniendus, si contrariorum utrumque coram jure fassus fuit. Si verò alterum collateraliter, alterum in jure, quod in jure dixit stat. *Collateralis enim nihil probat.* Ergo nec vacillantiam, nec varietatem.

(b) *Contrarius alteri*, tunc probat, quando rationem scientiæ dat fortiorem; vel aliis adminiculis evadit fortior, si verò paria fuerint, tunc mutuo conquassantur & neuter probat. *S. Husbii ll. cc. §. 20.*

145. *Quæ est pœna testis perjuri & falsarii?*

Testis qui mendacium juramento firmatum in fraudem & periclitationem jurium cujuscumque malitiosè committit, punitur gravissimè.

1. Perpetua infamiâ notatur.
2. Ipse in judicio contra neminem, contra ipsum autem, quilibet agere potest.
3. Zona cannabea præcinctus, discalceatis pedibus, nudato capite, & disparibus vestibus inductus semper incedere cogitur, tanquam ab omni humanitate relegatus.
4. Si perjurium est commissum in causa Fisci Regii, tunc universa bona mobilia & immobilia Fisco cedentia in perpetuum & irredemptibiliter amittit.
5. Si verò contra privatum quemcunque regnicolam in pœna emendæ capitis. Magnas fl. 400. Nobilis fl. 200. Ignobilis fl. 40. integro nempe

Homagio suo, perjurus convincitur. *Trip. II. Tit. XLIII. L.* Puniendusque est coram Judice Fori; ita ut *Exceptio Fori*, hic non teneat, sed ecclesiasticus a Judice seculari & vice versa puniri queat. *S. H. ll. cc. §. 26.*

146. *Quid hic notas?*

Quod distinguantur, *Mentiri* & *mendacium dicere*. 1. Quia qui mentitur ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui verò mendacium dicit, ipse ex sua imprudentia fallitur. 2. Qui mentiri cadit in hominem sine dolo alterius, aut mendacium dicere cadit in rem & cum dolo alterius. Unde qui jurat falsum bona fide, & cum ratione putans esse verum perjurus non est dicendus. *Kitt. IX. Q. 25. S. H. §. 26.*

147. *Quomodo testes elidi possint?*

Opposita Exceptione

1. Contra eorum Personas, quod non sint habiles, legales &c.
2. Contra eorum examen, quod non sint citati, sed sponte se obtruserunt, non sunt jurati, non examinati, non seorsim & secreto examinati.
3. Contra eorum dicta quod sint contraria, causam non expresserint, sint singulares ex auditu alieno.

148. *Quid hic observare debes?*

Sedulò observandum, si opponatur contra testem in judicio aliqua infamia judicialiter non declarata, objiciens *exceptivè* in promptu habeat probam de jure sufficientem alioquin in pœnam homagiale incurreret. *Trip. II. Tit. XXXVI.* aut emendam linguæ. *Trip. II. Tit. LXXII.*

149. *Quid hic Demum notas?*

Quod in quibusdam casibus ignobilium & domesticorum Passiones, si sint honestæ famæ & conditionis admittuntur. *Ap. Const. P. III. Tit. XLVIII. art. Idea Act. Jur. p. 183.* Unde a paritate rationis licet ad alios casus argumentari *Art. XXVI. 1729.*

Regulæ & Axiomata.

1. Fundamentum testimonii est Fides.
2. Nullus idoneus testis in re sua intelligitur.
3. Vox unius, vox nullius.
4. Testes singulares tantum probant mille, quantum unus, Q. quilibet in suo dicto unus & solus est.
5. Magis credendum duobus testibus adfirman-
tibus, quam centum negantibus
6. Testis ultroneus non probat. Nisi urgeat il-
la Regula: Qui tacet consentire videtur.
7. Non creditur testi quamvis religioso, qui sine
juramento deponit.
8. Testis deponere debet de rebus sensatis, i. e.
sub sensum cadentibus.
9. Plus creditur uni testi oculato, quam decem
auritis.
10. Testis iniquus non erit impunitus. *Trtp. II.
Tit. XXIX.*



TITULUS XXXI.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

150. *Quid intelligis per Instrumenta?*

Scripturas ad fidem Judici faciendam idoneas. Eæ sunt Publicæ vel Privatæ.

151. *Quæ est Scriptura Publica?*

Quæ per publicam manum ritè & juxta legum requisita, absque vitio conficitur. Quæ plenam fidem sortitur si in vitia enumerata *Trip. II. Tit. XVI.* non incidat. Apud Canonistas Publica instrumenta dicuntur.

1. Quæ munita sunt sigillo capituli, vel alio authentico; vel per manum publicam confecta.
2. Acta judicialia auctoritate judicis per Actuarium conscripta.
3. Scripta testium subscriptione munita, modo adhuc vivant & manum suam recognoscere valeant.
4. Notariorum orthodoxorum instrumenta.
5. Scriptura ex archivo desumpta & a publica persona conscripta.
6. Libri Parochiales pro fide actuum parochialium conscripti. *Böhmer Lib. II. Tit. XXII. §. 2.*

152. *Quam habent vim publica instrumenta?*

Authentica plene probant; sed exemplo seu transumpto non creditur, nisi publica auctoritate fuerit factum. *Böhm ll. 66.*

153. *Quæ*

153. *Quæ est Scriptura Privata?*

Quæ per privatam manum elaboratur. Hæc suis viribus non destituitur, si duorum testium omni exceptione majorum testimonio & subscriptione & sigillis, sub fide nobili roboratur. Simplicia exempla talium instrumentorum nisi originalia producantur, aut in capitulis, conventibus penes Mandatum Requisiteorium, vel verò suæ Majestatis Tabula Regia penes proclamationem transumpta, extradita extiterint in Foro contradictorio vim & vjorem nullum habere possunt. *Trip. II. Tit. XV. Idea Act. Jur. p. 198.*

Transumpta litterarum originalium quæ in loco authentico recognoscuntur, plene probant. *Art. XLII. 1723. Trip. II. Tit. XXV.*

154. *Instrumenta Privata* regulariter nihil probant, prout enim verbis, ita etiam scripto nemo sibi testis esse potest. *Art. XLI. 1723.* Hinc Testamento licet solenniter & sanctè confecto, si mortuus adseruit Bona, de quibus disposuit, fuisse acquisita, vel aliquem sibi debitorem, non creditur, & adsertum testamento non probatur. *Steph. Husii Lib. I. Tit. LX. §. 7.*

155. *Libri Privati.* in quibus describuntur rationes, bona, census, prædia, ut sunt, Inventaria, Registra, Urbaria, sine Judicis auctoritate conscripta, instar aliarum privatarum scripturarum, nihil probant. Uti nec privatorum Recognitiones; quia simplici adseverationi fides in jure non datur. etiamsi bona fide recognoscatur. Quia bona fides non est formula jurandi; testimonium autem hu-

manum

manum sine juramento in jure fidem non obtinet. *Trip. II. Tit. XXVII.* Si tamen is, qui scripsit, bonæ famæ fuit, ac jam mortuus, exprimatque causam, diem, mensem, annum, maximè in rebus humanam memoriam excedentibus, semiple-
ne probat.

156. *Quid est, quod fidem Instrumentorum adimit?*

Cancelatio, abrasio, innovatio, atramenti, characterum &c. diversitas. *Trip. II. Tit. XXVII. & Not. ibidem.* Si in substantialibus terminis tale quid intercesserit, vut contineat falsum licet in parte tantum, totius instrumenti fides nulla, quia in parte falsum totum reddit suspectum.

157. *Quomodo instrumenta possunt impugnari?*

Variis ex capitibus

1. *Ratione causæ efficientis*, si fatens fuit larvata persona, vel in loco non debito confecta sunt.
2. *Ratione causæ formalis*, quod non habeat solennitates lege requisitas.
3. *Ratione causæ materialis*, quod erectum & institutum sit de Bonis dispositioni tali non subjectis.
4. *Ratione causæ finalis*, quod non probet intentum adversarii ad quod probandum est productum.
5. *Ratione falsitatis*, quam continent in puncto substantiali. v.g. circa negotium gestum, ejusque conditiones, circa locum aut tempus, quo dicitur confectum. *Trip. II. Tit. XVII.* circa testes, qui sunt instrumento inscripti.

Cujusmodi falsitas probari potest, vel instru-

men-

mento contrario, vel per testes instrumento inscriptos aut extraneos

6. *Ratione rasuræ*, cancellationis in voce substantiali, si quid reperiatur additum manu aliena caractere diverso &c.

158. In Jure Canonico fides publicis instrumentis subtrahi potest *Exceptione*

1. *Falsitatis* pluribus testibus evidenter probata.
2. *Contrarietatis*, si quis contrarias inter se scripturas produxerit.
3. *Rasuræ* in loco suspecto.
4. *Lectiois*, ita impeditæ ut legi & intelligi nequeant. a.)

Impugnari quidem ex his omnibus capitibus instrumenta possunt; sed Judicis erit adjudicare, an objecta talia sunt, quæ expugnent ac reproben eorum fidem. b.)

159. *Quid adhuc de instrumentis observas?*

Quod si duo instrumenta sint sibi contraria, uti testes contrarii fidem neutrum meretur, se mutuo conquassant, si verò unum ab Actore alterum a Reo producat, dignius fidem habebit. Si verò paris autoritatis erunt, utrumque enervatur.

2. Quod si quis litteralia instrumenta, in specie illa, quibus jus suum tueri vellet, quocunque deperdita modo, sufficienter præextitisse probaverit jus & res in iisdem contenta comprobata habetur; æque ac si litteræ ejusmodi deperditæ in specie fuissent exhibitæ. *Art. LXX. 1715.*

3. Quod

(a) *Böhm. Lib. II. Tit. XXII. §. 7.*

(b) *Steph. Hussti Lib. I. Tit. LV. §. 13.*

3. Quod præexistentiam amissarum litterarum in casu si deficiat testimonium humanum; aut litterale eas extitisse probans, allegans juramento suo ad mentem. *Art. XXVII. 1729.* validè probat.

4. Quod magna quidem sit instrumentorum auctoritas; sed tamen prævalere debet veritas, & non tam quod scriptum, quam quod verè actus respecti debet. Nam non implicat ut ex locis etiam authenticis falsæ aliquando emanent litteræ. *Trip. II. Tit. XVI.* Præsumptio tamen stat pro instrumento sua formalitate confecto. *St. Hussi Lib. I. Tit LV. §. 12.*

Regulæ, & Axiomata.

1. Tantum valet instrumentum ad probandum, quantum depositiones testium.
2. Statur instrumento donec probatur contrarium.
3. Privilegium personale personam sequitur & cum ea extinguitur.
4. Veritas rerum, erroribus gestorum non viatur.
5. Verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis. *Reiffenst.*



TITULUS XXXII. DE JUREJURANDO.

160. *Quis nexus Tituli?*

Quod Juramentum sit maximum expediendarum litium remedium; fitque probatio sæpius juramento.

Quid est Juramentum?

Est adseveratio seria & religiosa, in cujus confirmationem Deus vocatur in testem & vindicem.

161. *Quæ sunt Juramenti requisita?*

1. Capacitas personæ jurantis, quam ponit usus rationis. *Trip. I. Tit. CXXX.* Ad juramentum præstandum incapaces sunt infames, perjuri excommunicati, impuberes, & omnes qui testes esse non possunt.
2. Intentio invocandi Deum, in testem & vindicem, quæ ex verbis præsumitur.
3. Ut obervetur formula recepta ac solennis. *Andr. Hufsi §. 459.*

162. *Quomodo Juramentum dividitur?*

Primò. Juramentum dicitur

1. *Adseveratorium*, quod de rebus v. factis præsentibus præteritis & futuris adhibetur sine promissione.
2. *Promissorium*, quod de rebus & factis futuris promittitur.
3. *Comminatorium*, quo de sumenda vindicta agitur.
4. *Impre-*

4. *Imprecatorium*, vel *execratorium*, si jurans sibi malum imprecetur.
5. *Solenne* si juretur cum aliqua solennitate, ut digiti elevatione, pectoris, Evangelii &c. tactu; quod *juramentum corporale* vocatur.

163. *Quomodo secundò dividitur Juramentum?*

1. In *Extrajudiciale*, quod præstatur extra judicium.
2. *Judiciale*, quod præstatur in Judicio. Hoc rursus est vel.
- a.) *Litis decisorium*, quod in defectu aliarum probationum finiendæ causæ ab altera parte præstatur. *Art. XXVII. 1729.*

Estque

- (a) *Voluntarium*, quod pars parti per modum conventionis defert, sed liberè recusari vel præstari potest.
- (b) *Judiciale* in specie sic dictum, quod pars parti loco probationis in judicio defert, ex decreto Judicis aut præstandum aut referendum: quod regulariter recusari non potest; sed vel præstari debet, vel qui detulit illi referre ut præstet.
- (c) *Necessarium*, quod partibus etiam non presentibus a judicio defertur. Quod si Judex deferat *Actori*, qui uno teste omni exceptione majore actionem probavit, vocatur *Suppletorium*. Si *Reo* semiplenè excusantem *Purgatorium*.
- b.) In litem vel æstimationem litis, quod nempe Judex defert alterutri parti, ut fateantur, quantis æsti-

æstiment rem, super qua controvertitur. Quo casu si juramentum fiat de valore rei, appellatur de *veritate*. Si juret super damno, quod pati debuit, vel super lucro, quo carere debet *de interesse*. Si verò de neutro, sed tantum super singulari affectione sua, qua fertur in rem ablatam *Juramentum affectionis*.

Ⓒ *Juramentum calumniæ*, quo litigans adfirmat & promittit, se nihil calumniæ causa agere, sed quod se justam causam & defensionem habere credat. *Tyrocin. ad Trip. II. Tit. LXX. p. 433.*

164. Cui *Juramentum deferendum*,
& quibus casibus?

Deduci potest ex *Articulo XXVII. 1729.*

1. Si Actor nihil probet demptis casibus occultis Reus simpliciter absolvendus est. Nullumque juramentum acceptare tenetur, quia regulariter Proba Actoris incumbit, & eo nil probante, Reus Præsumptione juris censetur innocens.

2. Si Actor probet *Semiplenè*, tunc videndum an factum Actoris vel Incto sit proprium, vel utriusque. Si utrique parti proprium, tunc *Juramentum Voluntarium & Judiciale specificum* potest deferri & referri. Actor tamen *necessarium* nec recusare, nec referre salva sua causa debet, sed deponere. Si soli Actoris proprium, tunc Incto deferri non debet. Si soli Incto proprium is in purgationem sui, quoniam media Actoris proba gravatur, quodlibet acceptare tenetur & neutrum referre vel recusare. *a*)

3. In casibus occultis, ubi nullus Actoris alter probandi modus possibilis est, considerandum.

H

(a)

(a) *Steph. Husii Lib. I. Tit. LVI. §. 5.*

- (a) An partes ambæ sint integræ fidei & omni exceptione majores.
- (b) An paris sint conditionis ambo nobiles vel ambo ignobiles ?
- (c) An factum huic vel illi, vel utrique Parti sit proprium aut saltem cognitum.

Hinc

- (aa) Si conditio par & factum utrique notum, *Juramentum voluntarium & judiciale* potest mutuo deferri, & cui defertur jurare vel referre. Quia manifestæ turpitudinis esset, nec jurare nec alteri referre. *Art. XXX. 1729. Necessarium* verò præstare tenetur Inctus; quia favorabiliores sunt partes Incti in fine litis & in dubio.
- (bb) Si conditio sit impar, ei qui conditione prævalet, *judiciale specificum* æque ac *necessarium* deponere incumbit. Referre tamen *judiciale ac voluntarium* in hoc casu licebit, *necessarium* nunquam.
- (cc) Si factum Actori tantum fuerit cognitum conditioneque sit par vel dignior; tunc huic incumbit, nec referri potest, cum alter factum ignoret. Secus Si Reus conditione inferior extiterit, Reus tunc simpliciter absolvendus; quia Actor nihil probat.
- (cc) Si porro factum soli Reo proprium conditioneque par, etiam omni exceptione major illius juramento submitti debet, nec referri; quia Actor cognitione, caret. Ast si dispar & inferior conditione extiterit vel Exceptione non caruerit, *judiciale specificum & necessarium* ei imponi

poni nequit. *Voluntarium* tamen ab Actore delatum acceptare volens, potest.

(*ee*) In causis criminalibus delatio juramenti locum non habet, sed Probationes luce meridiana clariores requiruntur. *Kitt. VI. Q. 8.* Neque Actori, neque Reo deferendum sed Reus absolvendus. Præstat enim nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. Quia pœna dilata potest exigi, sed exacta non potest revocari.

Verum in his ad complementem probæ aut respectivè ad purgandum se tortura solet adhiberi. *a*)

(*ff*) Juramentum necessarium vel legale in jure Canonico ad purgationem faciendam a gravato suspicionibus, etiam in causa criminis & matrimoniali a Judice defertur. *b*)

(*gg*) Reus ignobilis Actore nobili nil probante, non tenetur juramento in sui purgam sed absolvendus. Verùm si femiplena proba gravabitur in purgam sui jurare tenetur. *Art. XXVII. 1729.*

165. *Quando potest recusari Furamentum?*

1. Si deferens juramentum semel delatum recu-
saverit, non enim permittitur iterum deferre.
2. Si pars cui defertur jam aliunde satis proba-
vit *Art. XXVII. 1729.* cum juramento in de-
fectu probationum sit locus.
3. Si Actor deferens persona sit suspecta.
5. Si rem ignoret.

H 2

6. Obli-

(*a*) *Steph. Hufsi LibI. Tit. LVI. §. 10.*

(*b*) *Böhm. Lib. II. Tit. XXIV. §. 15.*

6. Obligatio juramenti est personale vinculum, ad hæredes non transit.

156. *Quis est Effectus Juramenti?*

1. Ut pro jurante sententia feratur; a qua appellatio regulariter non permittitur. Quia juramentum delatum speciem Transactionis habet; quæ si sine dolo inita sit, inviolabiliter servari debet.

Trip. I. Tit. LXII. 1729.

2. Effectus non præstiti juramenti est, ut jurare nolens pro confesso contra se habeatur, & a causa cadat. Quia ommissio juramenti amissionem causæ importat. *Kitt. VI. Q. 13. Trip. II. Tit. XXXII.*

Si de formula, seu substrato juramenti litigantes convenire nequeant, Judex ex visceribus causæ tenetur. *Art. XXX. 1729.* Debetque esse cautus in impositione Juramenti, ut non nisi in conformitate legum partibus imponat. *Art. XXIII. 1623.*

Regulæ & Axiomata.

1. Juramentum contra bonos mores & leges præstitum, non est obligatorium. Quia non debet esse vinculum iniquitatis.
 2. Omne juramentum servandum est, quod servatum non vergit in dispendium salutis æternæ.
 3. In malis promissis fidem non expedit observari.
 4. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.
 5. Jurare renuentem, pro confesso habendum
- Trip. II. Tit. XXXII.*

TITULUS XXXIII.
DE LITIS DECISIONE
PER SUFFRAGIA.

167. *Quid est Suffragium?*

Est singularis plurium Judicum opinio, qua quasque pro arbitrio suo exponit quidnam de merito causæ substratæ sentiat.

Adveniente enim Judiciorum post Exmissionem termino, Actor causam suam continuabit, taliterque dictabit.

Causa penes Exmissionem continuata Nobilis TT. de T. ut A. contra nobilem NN. de N. ut Inctum. Pro A. Procurator T. de T. & penes Exmissionem producit litteras & litteralia sua instrumenta, aliaque documenta, quibus efficaciter comprobat Actionem suam, qua probata petit judicium juxta priorem Levatam & protestatur.

Inctus similiter per Procuratorem se legitimari faciet hunc in modum.

Pro I. Procurator T. de T. & dicit cum Protestatione, cum Actori incumbat probare suam Actionem. Idcirco I. protestatur super facultate excipiendi contra Documenta Actoris, & postea si ratio defensionis ita expostulaverit, suas quoque litteras & litteralia instrumenta, aliaque documenta, pro sui defensione producendi, maneat ipsi jus salvum & protestatur.

Productis itaque & Notario exhibitis ex utraque Parte, si necessum fuerit documentis, bonaque conscientia ruminatis, si hujusmodi documen-

ta legitimè emanata compertum fuerit, & propter hujusmodi legalitatem in judicio validitatem habuerint, ac proinde per alterutram partium subverti non poterunt, accingunt se Judices ad ferenda *suffragia*.

168. *Quomodo debent colligi?*

Modus colligendi suffragia varius est, aliquando incipit a dignioribus ac eruditioribus. Qui modus hunc habet rerum, quod iuniores liberè suffragandi potestatem amittunt; reverentia enim ætate & prudentia excellentium constringuntur, ne illis contra dicant. Si verò incipiat ab inferioribus evenire potest, ut pluralitas votorum desinat in sententiam vel plane absurdam, vel minus convenientem. Juniores enim ex fervore sæpius aberrant, nec adsequuntur, id quod ad rem pertinet. Praxis usu recepta est, ut incipiat ortum ab inferioribus. *Kitt. X. Q. 16. Præses concludat.*

Ubi omnium Adfessorum consensus in idem placitum conspirat, ibi jus salvum est. Ubi par est suffragiorum numerus, ibi calculus Minervæ locum habet, i. e. Reus absolvendus est. Quia *melior est conditio Rei, quam Actoris. Reg. Juris. 125.* Plurium suffragia pauciora vincunt, seu pars major vincit minorem. *Trip. III. Tit. II.* Absentium nulla habenda ratio est, etsi scripto suffragium in judicium miserunt. Quia sententia dicitur ex consultationibus & examine documentorum ac testium cui ipsi non interfuerunt. *Andr. Hussti §. DXIII. pag. 214.*

Judicium est impartialiter sine timore, cupiditate, odio, & amore, mutuum discursum pro & contra

contra de allegationibus productis Partium placidè instituire. Ubi Adseffores convenire non possunt, Sedis Notarius qui in Foro ecclesiastico, ut quilibet Adseffor suum habet suffragium, colligit vota; quibus numeratis & non ponderatis juxta majoris Partis suffragium format Deliberatum.

Regulæ & Axiomata.

1. Dubia in meliorem partem interpretari debent.
2. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.
3. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
4. Ubi rigor ibi vigor.
5. Promptiora sunt jura ad absolvendum, quam condemnandum.
6. Promptiores esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum.
7. Voluntas spectatur & non exitus.
8. Nil statuatur Judex etiamsi litiget actor.
Sit nisi delati causa cognita Rei.
9. Judicium præcepti infani Judicis index.

**TITULUS XXXIV.
DE SENTENTIA.**

169. *Quid est Sententia?*

Est causæ cognitæ & in judicio definitæ a Judice competente legitimè instituta Pronunciatio. Seu, est declaratio Judicis, quæ pro

imperio prævio examine legitimo de causa contro-
versa, sive principali sive incidente statuit.

170. *Quotuplex est Sententia?*

Est duplex.

1. *Interlocutoria*, qua non ipsa *Principalis* contro-
versia perimitur; verum incidens quædam Quæstio
vel Exceptio deciditur. v. g. de competentia Fori,
Actoratu, testibus an sint legales?

Estque hæc vel

(a) *Simplex*, quæ non tangit controversiam prin-
cipalem.

(b) *Mixta*, quæ obliquè periclitari facit causam
principalem. v. g. ut cum ruit Actoratus,
diciturque hæc *interlocutoria definitivæ vim habens*.
Differt tamen a definitivo. (1. Quia hæc non deci-
dit directè & formaliter causam principalem ut illa
(2) Quia hanc Judex ex ratione justa immutare po-
test; quæ mutatio melioratio sententiæ dicitur. Il-
lam verò sive bene sive male pronunciaverit, im-
mutare non potest, sed declarare, si cui Partium
ambigua videatur, potest.

2. *Definitiva*, qua causa principalis deciditur, to-
tique controversiæ per condemnationem, vel abso-
lutionem imponitur finis. *Trip. II. Tit. XLII.*

171. *Firmitas, seu sententiæ valor, quo fundamentò
nititur?*

Conditionibus tam intrinsecis, quam extrinsecis.

172. *Quæ sunt conditiones intrinsecæ?*

1. Sententia debet conformis esse legibus, ac con-
suetudini. *Prol. Tit. XV. Trip. III. Tit. XXX.*
Ab illis enim Judici recedere non licet.

2. Dum

2. Dum plures fuerint opiniones de aliqua causa contrariæ, illa est sequenda, quæ meliori ratione fundatur. *Trip. II. Tit. XLII.*
3. Sententia Sphæram Actionis non excedat, seu non super alia re, nec ex alia causa, quam quæ fuit in Actione. Quicquid enim actionatum non est, super eo Reus citatus & auctus non est. Ideo, quod actionatum est judicandum est. Aliquando tamen æquitas rigori præferitur; & ex conscientiæ dictamine plus vel minus quam in actione fuit postulatum adjudicatur.
4. Contineat formaliter vel virtualiter condemnationem aut absolutionem; aliàs enim pronuntiatio controversiam non determinaret.
5. Non sit lata de conditione extrinseca de futuro v. g. condemno Vesalium si constabit furem esse: ita enim controversia finem non acciperet; neque sententia esset immutabilis.
6. Tot adsint Judices, quot lex & consuetudo postulat.
7. Non sit notorie injusta, vel ex instrumentis notoriè injustis ac falsis lata; quia sic nemo ei obtemperare teneretur. a)

173. *Quæ sunt extrinsecæ conditiones ad valorem sententiæ requisitæ?*

1. Ut pronuncietur a Judice pro tribunali sedente, tempore & loco consuetis.
2. Ut scripto confecta prælegatur.
3. Pronuntiatio fiat de die non de nocte, excepto casu contumaciæ per non venit, cum ad lucem candelæ pronuncietur. *Art. XXXII. 1723.*

H 5

2. Ut

(a) *Steph. Husii Lib. I. Tit. LVII. §. 4.*

4, Ut præsentibus Partibus vel eorum mandataris, ad quam sufficit unam partem vel mandatarium præsentem.

In causis matrimonialibus antequam finalis sententia pronuncietur, Partes litigantes cautionem præstare debent, quod Adfessorum temporis dispendium & laboris mercedem velint imox & defacto exolvere. Pronunciatur verò sententia definitiva Partibus personaliter præsentibus tempore & loco consueto.

174. *Quid hic notas ?*

Quo d sententia intra debitum tempus non appellata, censetur adprobata, adeoque transit in rem adjudicatam. Seu vocatur res judicata. *Kitt. IX. Q. 2.* ita etiam appellata si pars appellans in Foro super Revisorio, quò per appellationem provocavit, videri intra tempus lege definitum negligat. *Trip. III. Tit. XXXV.* Appellatio verò fieri debet die eodem.

175. *Quis est effectus rei judicate ?*

1. Quod omnia præsumantur legitimè acta.
2. Quod faciat jus inter partes, inter quas lata, iisque solis emolumentum aut præjudicium adferat.
3. Est tantæ autoritatis, ut ei standum sit, nec retractari possit, propter viam Novi Judicii. *Trip. II. Tit. LXXVII.*

176. *Quæ sententia non transit in rem judicatam?*

Sententia, quæ vocatur *nulla*, i. e. quæ nullum effectum operatur. Estque illa

1. Quæ ordine juris non servato lata, veluti lite non contestatâ.
2. Quæ

2. Quæ non legitimè publicata.
3. Quæ a Judice incompetente lata.
4. Quæ ex testimonio testium corruptorum vel conspirantium lata.
5. Quæ ad occultam conspirationem litigantium in causa matrimoniali extorta.
6. Contra non contumacem, sed justè impeditum pronunciata.
7. Quæ ex manifesto errore lata.
8. Quæ a Judice excommunicato prolata.
9. Quæ est incerta nihilque determinat. a)

Mulcta seu Proventus in judicio concernit Judices, ubi decisio litis facta, quamvis causa inchoata & tractata fuerit in Foro inferiori *Ap. Const. P. IV. Tit. XVI.* Ex paritate rationis hic quoque argumentari licet.

Regulæ & Axiomata.

1. Si causa duobus committitur, sententia unius non tenet.
2. Judex postquam semel dixit sententiam, Judex esse desinit.
3. Jurgantium controversias, celeri sententia terminare & æquitati convenit & rigori.
4. Sententia debet esse conformis, libello, seu Actioni.
5. Juxta petitionis formam pronunciatio sequi debet.
6. Utilius est macre concordium quavis pingui sententia.
7. In obscuris minimum est sequendum.
8. Error communis jus facit.

9. In

(a) *Lib. II. Tit. XXVII. §. 12.*

9. In pœnis benignior interpretatio est intelligenda.
 10. Peccata suos teneant autores.
 11. Pœna est noxæ vindicta.
 12. Non debet aliquis alterius odio prægravari.
 13. Ea, quæ fiunt a Judice, si ad ejus non spectant officium non subsistunt.
 14. Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi.
 15. Ubi omnes delinquant, nemo plectitur.
Ob populum multum crimen pertransit inultum.
 1. Qui coniunguntur in culpa non debent sejungi in pœna.
 17. Gravantibus delictis exasperandæ sunt pœnæ.
 18. Pœna non debet excedere culpam.
 19. In mortis pœna omnes aliæ comprehenduntur.
 20. Melius est malum excludere, quam receptum mederi.
 21. Propter criminis atrocitatem jura licet transgredi.
 22. Cautela superflua nulla est.

TITULUS XXXV.

DE EXECUTIONE.

177. *Quid sequitur definitivam sententiam?*

§ Executio velut iudicii complementum: quia frustra fierent iudicia; nisi quæ judicialiter decidentur, reali quoque executioni mancipentur.

178. *Quid est Executio?*

Est rei iudicatæ in effectum deductio, seu Actus judicialis, quo realiter præstatur Parti triumphanti, quod ipsi verbaliter adjudicatum est per sententiam.

Exe-

179. *Executio quotuplex?*

Duplex, dicitur alia

1. *Immediata*, quam ipsi post pronunciatam sententiam in effectum deducunt Judices, qui jus dixerunt.

2. *Mediata*, quam Judex jus dicens alterius subsidio peragit, ut Judex ecclesiasticus, implorare sæpius debet brachium seculare.

180. *Quomodo peragi debet Executio?*

Sententiæ definitivæ, seu Deliberati executio præmissa certificatione modo legitimo Partis adversæ ad octavum & locum declaratum peragenda. *Appr. Const. P. IV. Tit. X.* Cumque Forum ecclesiasticum regulariter brachium seculare non habeat, sententiam transcribit Magistratui ad exequendum. Si verò Pars quoque succumbens sit ecclesiastica, a sedria denominantur Executores ecclesiastici, qui si repellantur repellens sibi imputet, si Repulsionis onus accommodatum juri civili exigatur.

181. *Qui sunt ordinarii Executores?*

Sententiarum civilium sunt 1. Ex Tabula Regia pronunciatarum, Protonotarius, Præses capituli, vel aliquis Adsefforum Regionum.

2. Ex sede comitatum judiciaria Judex Nobilium, vice Comes Comitatus, Notarii Cancellariorum. *Appr. Const. P. IV. Tit. X.*

3. Ex Senatu civitatum, quibus a senatu mandata est.

Si qui autem Verbi Divini Ministros aut scholarum Rectores verberarent, vulnerarent, ac persequerentur, vel vice versa Prædicatores ac scholarum Rectores hoc ipsum adversus alios adfentarent.

rent. Comites vel sedium officiales exclusis omnibus juridicis remediis mox & defacto fl. 200. exequi tenentur. *Appr. Const. P. I. Tit. V. art. 5.*

182. *Quid de Executione observas?*

1. Quod executionē recusantes puniuntur fl. 100. aliquando fl. 200. officii privatione & infamia. *Art. LXXVIII. 1563. Appr. Const. P. IV. Tit. IX. art. 1. Andr. Hufsi Tit. LIV. p. 226.*

2. Quod turbantes & verberantes executores, pro qualitate delicti multa pecuniaria puniuntur. *Trip. II. Tit. LXXIV.*

3. Victorij quod adjudicatum est & executum regulariter, statim præstatur & mittitur in Possessionem. *Art. XXVIII. 1729.*

4. Si Bona nulla sunt, vel non sufficiunt, adeoque propria Rei persona est exequenda; tunc executioni subjectus, si executio facta est ratione sententiæ capitalis tribus diebus *Trip. II. Tit. LV.* Si verò in minori potentia fuit convictus, tunc XV. diebus *Trip. II. Tit. LXVIII.* pariter in causa debiti. *Trip. III. Tit. XXVIII.* causa pacis & concordie præ manibus judiciariis detinetur, si interea non concordaverit, ex post adversario resignandus.

5. Ad personalem Nobilis æque ac ignobilis Rei detentionem requiritur.

(a) Ut detentio ejus deliberativè decernatur.

(b) Ut convictus nulla bona mobilia vel immobilia habens sit in defectu Bonorum. *Trip. II. Tit. LXVIII. III. Tit. XXVIII.*

(c) Ut detentio convicti fiat, non per Actorem, sed per Judicem causæ, aut specialiter ab eo deputatum hominem.

TITULUS XXXVI.
DE REMEDIIS JURIS IN
GENERE.

183. *Quid est Remedium Juridicum?*

Est quoddam sublevamen, quo in causa succumbens, seque gravatum sentiens, aut respectivè antequam succumberet, ad majorem declarationem priorum rationum noviter adhibendam responsionem, & annihilandum errorem, veluti restaurato illius Processu causam suam mederi solet. *Kitt. VIII. Q. 34. Remedia* a Partium litigantium sublevamine, quale ex medicina ægri accipere solent, dicuntur.

184. *Ubi adhibentur hæc Remedia?*

1. *Quædam extra Processum causarum*; quæ utcumque ad præservandum pro futuro jus nostrum observari solent. ut sunt *Protestatio Appr. Const. P. IV. Tit. 1. art. 46. Contradictio Retractatio. &c.* Peragi possunt in capitulis conventibus, & aliis locis authenticis, uti apud cancellarium, Protonotarios, Secretarios, Registratores, litteræque desuper extrahendæ.

2. *Quædam in Processu causarum*, quorum virtute in causa succumbens Processum & causam suam restaurare potest. Qualia sunt *Procuratoris revocatio. Prohibita, Inhibitio, Appellatio, Repulsio. Novum simplex, Novum gratiosum, novum cedendo appellationi, Depositio causæ*: quibus accedunt, quandoque *Prohibitio & Oppositio.* De his ex ordine agendum.

TUTI

TITULUS XXXVII. DE PROHIBITA.

185. *Quid est Prohibita?*

Est remedium juris, quo sententia per ipsius I. primam non comparitionem lata, eodem die in facie vel extra faciem sedis apud Notarium prohibetur.

186. *Quæ sunt Prohibitæ essentialia requisita?* Sequentia.

1. Ut alius Incti nomine prohibeat sententiam. Nam si I. per se vel per Procuratorem præsens fuerit vires non habebit.

2. Ut sententia illo ipso die prohibeatur; quo fertur; nam si eodem die non fuerit prohibita, altera die licebit extradare sententiam.

3. Stante totius diei sedria non est consultum sententiam prohibere. Ratio est, quia toto illo die, si Inctus per se aut Procuratorem legitimè constitutum comparuerit, habet se defendendi jus. Nec constat antequam sedria dissolvatur, utrum compareat, nec ne?

4. Ut fiat prohibita in prima instantia aut causæ levatione.

5. Tanta est vis prohibitæ, ut illa instituta Notarius non habet jus extradandæ sententiæ.

6. In una causa semel tantum permittitur Prohibita uti, ut in Brevi Processu.

7. Debet fieri tantum *verbaliter* non penes litteras Prohibitorias.

8. Vi legum data est facultas prohibendi absque omni onere vel pœna. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 18. Idea Act. Jurid. p. 163.*

187. *Modus prohibendi quomodo fit?*

Instituatur hac vel simili forma. *Ego hanc sententiam prohibeo.* Notarius verò Protocollo sic inscribit. *Prohibita eodem die.*

188. *Quid tandem faciendum est Actori?*

Proximo post assumptionem causæ & factam Prohibitam, termino judiciario adveniente continuabit suam causam modo sequenti.

Causa continuata nobilis T. de T. ut Actoris contra nobilem T. de T. ut Inctum & Prohibentem. Pro A. Procurator T. de T. perque præmissa solenni protestatione petit prohibitam Incti, in hac causa institutam de jure annihilari, prioremque sententiam in vigore relinqui, ac debitæ executioni demandari & protestatur.

189. *Quid si ne secunda quidē vice cōparuerit Inctus?*

Tunc prius deliberatum ratificatur, non enim datur secunda vice Incto facultas Prohibita utendi, in brevi Processu. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 18.* Poterunt tamen adhuc impediri Judices ab Executione sententiæ, *Beneficio inhibitionis* non quidem verbaliter, sed extractis ex Cancellaria litteris *Novi judicii inhibitionibus*, quod remedium solet *Novum cum inhibitione* appellari. Prout autem *Prohibita* extraditione sententia ita *Inhibitio* & ejus extraditionem & extradatæ executionem impedit. Inhibitione licet tunc quoque uti cum non præcessit *Prohibita*. Etiam ipso extradatæ sententiæ vel executioni præfixo termino aut die. *Prohibitæ* usus differt in Hungaria: quij videri potest apud *Steph. Husli Lib. I. Tit. LXII.*

TITULUS XXXVIII. DE INHIBITIONE.

190. *Quid est Inhibitio?*

Est remedium juris, quò sententia ob non venientiam Rei, pro parte Actoris competentis juxta suam acquisitionem per Judicem ad executionem extradata, medio cujus interest inhibetur. Seu. est beneficium juris, quo cum Inctus ex legali causa impeditus ad judicium venire non potuit, faciet recursum ad cancellariam, vel officium Protonotariatus & inde excipiet litteras Novi judicii inhibitionales quibus mediantibus Inhibet Judices, ac alios Legitimos quosvis executores, ab executione latæ ac etiam pro parte Actoris extradatæ sententiæ.

191. *Quæ sunt essentialia Inhibitionis requisita?*

1. Ut remedio illo utatur, sive fuit usus Prohibita, sive non, is contra quem sententia Judicis propter non comparitionem lata, etiam extradata, nondum tamen executioni demandata est.

2. Non verbaliter, sicut solet esse in negotio Prohibitæ, sed per modum & formam Mandati juxta consuetum stilum debet expediri; hoc NOVUM inhibitionale dictum.

3. A tempore extradatæ sententiæ usque dum executæ fuerit, etiam illo ipso die, qui executioni Præfixus est, ante tamen executionem licebit hoc remedio uti.

4. Judices tali remedio tanquam Mandato legitimo obstricti sunt obtemperare, tenenturque cessare ab executione sub pœna articulari, sive non obtemperationis legitimi Mandati.

5. Dirigitur Mandatum ad illos Judices ordinariè, qui sententiam tulerunt. Sed quoniam aliis quoque concessit jus Patrium facultatem sententias Judicum exequendi, prudentiæ erit hunc stilum sic formare, ut generaliter tam ad hos Judices, quam etiam alios legitimos quosvis executores tenor stili se extendat, hunc vel similem in modum. *Vellet vos & alios quosvis legitimos executores a præscripti Deliberati, vel sententiæ executione inhiberi facere, jure admittente.*

6. Non est in usu ordinariè, ut super Processu hujus Inhibitionis, Judices litteras Relatoriasificent. Sed sufficit impeditam fuisse executionem sententiæ vi hujus Mandati.

7. Inhibentis officio incumbit Partem actoream virtute hujus Inhibitionis certificari facere, vi instructionis illi exhibitæ in illam sedriam, ubi sententia lata est, modo sequenti.

INSTRUCTIO.

Nobilis T. de T antea in præsentis causa Inctus, nunc verò penes litteras Suæ Sacratissimæ Majestatis Novi Judicii inhibitionales Actor, Nobilem T. de T. prius Actorem, nunc verò penes præattactas litteras inhibitionales Inctum, virtute eorundem litterarum Novi Judicii inhibitionaliū certificari facit in Synodum Partialem Venerabilis Diocesis Albenfis ad octavum diem, a die hujusmodi certificationis computandum, ratione prævia coram latius declaranda, supereo, quia dum moder-

nus I. antea verò A. modernum Actorem ex illa ratione, ut idem prætenderet, quod eundem injuriosis verbis affecisset, ipsiusque honorem juxta suam prætensionem graviter læsisset, in dictam sedriam citari curasset; ibique per non venientiam moderni Actoris, tunc Incti, grave nimis & onerosum judicium contra eundem pro parte & ad instantiam moderni Incti pronunciatum fuisset. Vellet itaque modernus A. virtute mentionatarum litterarum Novi Judicii inhibitionalium omnem suum defectum, ob quem contra eum sententia pronuntiata fuisset, secundum jura & leges in eadem sedria supplere, ac Actionem per modernum Inctum contra eundem omnino in præfata sedria institutam, sive per legitimas Exceptiones, sive verò per Responsum in merito, prout defensionis ratio exigeret ex fundamento rationum, ex legibus Principatus depromptarum evertere, & invalidare. Protestatur modernus A. & refert se ad jura & tenorem litterarum Novi Judicii inhibitionalium.

192. *Fundamentum hæc ubi habent?*

In continuo usu judiciario, & in ipsis Patriæ legibus. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 13. 14. 17. 21.*

193. *Quid post certificationem agendum?*

Actor ex Incto talem instituet Propositionem. Causa nobilis T. de T. prius Incti, nunc verò penes litteras Sux Sacratissimæ Majestatis Novi Judicii inhibitionales Actoris censum contra & adversus Nobilem T. de T. prius Actorem, nunc verò penes mentionatas litteras Novi judicii inhibitionales Inctum.

Pro moderno A. Procurator T. de T. per quem exhibet litteras Relatorias super certificatione penes litteras Suae Majestatis inhibitionales, legitimè confectat, & solenni præmissa protestatione dicit-

Instituerat superioribus diebus modernus I. contra me, uti quidem prætendebat in causa læsi honoris in hac sedria Actionem, & quia ob legales rationes, neque per me ipsum, neque per Procuratorem legitimè constitutum comparere poteram in judicio; idcirco grave nimis & onerosum judicium fuit contra me in eadem sedria in Possessione Te comitam T. anno T. die T. mense T. celebrata pronunciatum.

Sed quoniam modernus Inctus non habebat jus me in hac sedria conveniendi. Ratio. *Quia Actor debet sequi Forum Rei.* Hoc verò judicium agnoscere pro Foro non possum, si quidem non sum subiectus huic jurisdictioni & judicatu. Peto me absolvi ab impetitione moderni Incti, antea verò Actoris cum pœna indebitæ vexationis & expensarum refusionis, causamque ad competentem instantiam remitti justitia dictante. Modernus A. protestatur & refert se ad leges Patrias, seriemque litterarum Novi judicii inhibitionalium.

194. *Quomodo hæc locum habent?*

Præmissa omnia de litteris Novi Judicii inhibitionalibus dicta, obtinent in casu, dum & quando Inctus a Judicio abest; quando vero præsens est, tunc post factam legitimationem Procuratoris excipit.

I. Exceptio vero instituitur.

(a) Contra Forum si rationes habuerit.

(b) Contra Actoratum.

(c) Con-

(c) Contra Processum. Datur enim omni Incto a jure facultas ex mente *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 30.* tribus Exceptionibus utendi ante responfionem in merito. Nam post factam ad substantiam vel meritum causæ responfionem ad simplicem exceptionem, vi axiomatis. *In jure non datur regressus, non licet regredi.*

2. Si verò per Exceptiones causa non condescendat, petet exmitti ad futuram sedriam modo tali. I. in meritò petit exmitti ad comprobandum jus suum in bonis liti substratis habitum & protestatur.

195. *Quid hic Aëtor aget?*

Pariter si voluerit petet exmitti pro comprobanda intentione sua. Utraque enim pars litigans habet jus petendi exmissione. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 13. 19. Idea Aët. Jurid. p. 166- 174.*

196. *Quis est effectus Inhibitionis?*

1. Quod executionem impediat, seu suspendat.
2. Quod causam revocet virtute Novi judicii dissentendam.

Hinc si prosequi Inhibens negligat, aut inutiliter temerèque Mandato causam retardaverit, pœnam calumniæ fl. 200. incurret. *Syntagma Jur. Ung. p. 264. Steph. Hufsti Lib. I. Tit. LXVI.*

Quid differat *Inhibitio simplex & Novum cum inhibitione.* legi potest in *Tyrocinio Juris ad T. LXXVII. §. 5. p. 466. Synt. Jur. Ung. p. 264.*

TITULUS XXXIX.
DE APPELLATIONIBUS.

197. *Quid est Appellatio?*

Est Partis sententiâ gravatæ a Judice inferiore maturioris revisionis gratia ad superiorem Provocatio.

198. *Quid hic observandum?*

1. Quod litigantes cum ad Appellationis solatium confugiunt, Judex sibi injuriam fieri non existimet: eam enim admittere juris & æquitatis est, exceptis quibusdam casibus. *Appr. Const. P. IV. T. I. art. 25.*

2. Qui appellare voluerit id faciat adhuc stante sede, i. e. eadem hora. Si verò convictus aliquid temporis postulaverit ad meditandum, non erit iniquum si Judices annuerint.

3. Appellatio per gradus ad Judicem proxime superiorem, non per saltus debet institui; neque ab ecclesiastico ad secularem permittitur; habent enim separatam Jurisdictionem.

4. Appellans post appellationem Litteras transmissionales seu Deliberatum cum tota causæ serie extrahat a Notario. In proximo verò termino judiciario Partibus præsentibus prælegatur. ubi aliqua Partium aliquem defectum animadverterit, emendetur. Nam pro reformatione tandem ad instantiam Partium a superiore sede non remittetur, nisi pro informatione Judicum. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 22.* Si forte altera Partium desit, nisi
justa

justa absentiae causa constiterit ad instantiam Partis alterius extradari debet. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 41.*

5. Appellans si suo tempore Transmisionem extrahere neglexerit, aut Appellationem non promoverit, sibi imputet, si praescriptione ab agendo in perpetuum amoveatur, causaque appellata in rem adjudicatam transeat. Appellatione enim non revisa, nec cum rejecta reportata, causa in rem judicatam transit. Proinde Appellans habeat rationem interponendae Appellationis; tertia enim vice si non prius Inctus absolutionem impetrabit. *Trip. III. Tit. XXXV.*

6. Pendente Appellatione nihil innovari a Partibus potest, sed manet causa in statu quo fuit. Judex quoque ligatus habet manus pro ulteriori Processu.

7. Transmisioni tempore prosequendae Appellationis nihil novi potest accedere. Sed juxta allegationes in inferiori sede factas, causa adprobatur, emendatur, aut remittitur Pedaneis Judicibus.

8. Inferioris sedis Judex non habet in causis appellatis votum in sede superiore.

9. Appellare potest eandem causam utraque Pars litigantium se laesam existimans, diverso tamen respectu cum bonum malum esse nequeat. In hoc casu sufficit Transmisionales per unam Partem repraesentare, sed utraque attendere debet, ne tacens recessisse videatur.

10. Interpositae Appellationi cedere Appellans sine onere potest. *Art. XXXVIII. 1729.* coram Judice inferiore antequam Transmissio facta fuerit.

98. *Quando non admittuntur Appellationes?*

1. Ab interlocutoriis sententiis, vel ab Exceptionibus, nisi eæ fuerint Peremptoriæ, i. e. causam finaliter perimant non admittuntur. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 44.*

2. In iis ubi causa Actoris juramento submissa *Trip. III. Tit. XXXV.*

3. Quando semel a Foro superiori remissa, nam in eadem causa non nisi semel admittitur Appellatio. *Trip. III. Tit. VI.*

4. Quando causa non est tanti valoris ut transmittatur.

5. Quando ex compromisso Partium Appellatio præscissa est. *Art. XXX. 1729.*

6. Quando ex adtestari volentibus pœna defumitur. *Art. XXX. 1729.*

7. Causæ criminales publicis malefactoribus criminaliter intentatæ. *Art. XXX. 1729.*

8. Causæ quæ moram non patiuntur. *Böhmer.*

In causis ecclesiasticis a Synodo Provinciali nisi ad Nationalem Appellatio regulariter non admittitur. *Can. XCIII.* Invaluit tamen ab aliquo tempore Appellatio ad Regiam Majestatem velut supremum in causis matrimonialibus Protestantium Judicem.

199. *Quis est effectus Appellationis?*

1. Quod tota causa ejusque ulterior cognitio ad superiorem Judicem devolvatur, tribuaturque ei potestas latus in ea sententias confirmandi vel reformandi.

2. Quod

2. Quod in causis minoris potentiae & calumniae ubiq; succumbens duplici poena puniatur. *A. XLVIII. 1563. Kitt. VIII. 1Q. 8. 9. Q. 18.* Quod causam bene judicatam, malè, id est, temerè appellaverit.

200. *Quid porro hic agendum?*

Transmissio notificatur per *Relationem*. Relatio est a Judice a quo adpellatur, ad Judicem ad quem facta est Appellatio, totius Processus authenticici expediti representatio.

201. *Quid hic requiritur?*

Ut inscribatur Judici & sedriae ad quam dirigitur, subsignetur a Notario, sigillum imprimatur Sedriae vel Comitatus in civilibus. *Art. XLV. 1726.*

In Foro ecclesiastico subsignatur a Praeside & Notario, eorumque sigillis roboratur. Sic ubi emendationes factae sunt, subsignantis manu eae adnotentur.

202. *Quid si non transmittantur causae appellabiles?*

Tunc Judices velut constitutionum violatores evocantur & poena fl. 200. puniuntur. *Appr. Const. P. IV. Tit. XV. art. 5.*

203. *Quid me de Apostolis doces?*

Apostoli dicuntur libelli dimissorii, seu literae dimissionales, quas Judex a quo appellatum est, transmittit ad Judicem ad quem, sive ad eum, qui de Appellatione cogniturus est, in eisque testatur, v.g. Titium appellasse a sententia sua, quam inter ipsum & Cajum circa talem causam tulerat.

Et tales libelli dimissorii Adpellationum vulgò dicuntur *Apostoli*, id est *Missi*. quia vulgò mittuntur

tur ad Judicem ad quem ut de causa appellationis instituat.

Apostolorum usus est creber in Jure Pontificio seu Canonico, ab aliquo tempore cœpit invalescere etiam in Transylvania apud Politicos. a)

203. *Quid est rejecta?*

Rejecta est dilatio Transmissionum. finitis enim judiciorum terminis rejicitur causa in alium terminum per subscriptionem Notarii; alioquin in rem adjudicatam transfret causa appellata. *Uladisl. I. Art. LXXIII. Art. XXV. 1563. Art. XLIV. 1622.* Est quoque Remissio ad Forum inferius ad rectificandum.

Regula.

Qui prior appellat, prior agat.

TITULUS XL.

DE REPULSIONE.

204. *Quid est Repulsio?*

Est Partis in causa triumphantis per alteram Partem in causa succumbentem ab executione ac executione latae per Judicem sententiæ violenta quædam propulsio. *Trip. II. Tit. LXXIII. Tyrocin. ad h. t. p. 452.*

205. *Quomodo fit?*

Evaginatio, aut ostenso minaciter gladio, vel baculo, quo declarat se coram Judice defensione uti

(a) *Reiffenst. Lib. II. Tit. XXVII. §. p. 421.*

Böhner Lib. II. Tit. XXVIII. §. 15. p. 298.

uti velle. Nihil verò interest per se vel per alium Repulsionem peragat.

206. *Quoties potest fieri?*

Semel tantum in eadem causa; altera vice sub pœna Notæ infidelitatis aut maioris potentiae fieri non potest. *Trip. II. Tit. LXXIII. LIV. art. X. 1723.*

207. *Quis potest Repulsione uti?*

Quilibet regulariter, non tantum definitiva Judicis sententia gravatus, sed & alter cui interest. *Kitt. V. Q. 21.* Quia defensio jure naturæ omnibus licita esse debet. *Hustii Lib. I. T. LXIII. §. 6.*

208. *Quis est effectus Repulsionis?*

1. Quod repellens ad dandam rationem Repulsionis evocatus, si illam ex legitima ratione adhibitam fuisse evicerit, Judex admittere tenetur, neque ulli subiacebit pœnæ.

2. Non licet Parti triumphanti contra Repulsionem Dominium bonorum controversorum intrare & occupare sub pœna amissionis causæ. *A. XXXIII. 1729.*

3. Nec Parti convictæ ac repellenti licet ullam penitus taxam, rusticos labores & id genus alia infra finalem causæ illius decisionem e bonis talibus exigere. *Art. XIX. 1729. Hustii ll. cc. §. 7.*

209. *Executio per quos peragitur?*

Per officiales Comitatus in causis civilibus præsentibus vicinis & commetaneis. *Appr. Const. P. IV. Tit. X. art. 1.* & in ecclesiasticis in certo casu *Appr. Const. P. I. Tit. V. art. 5.*

Quid

210. *Quid si executionem legitimam in judicio gravatus impediaverit ?*

Provocabitur rursus penes certificationem in illam sedriam, ubi sententia lata est ad reddendam rationem Repulsione, modo sequenti.

MODUS CERTIFICATIONIS.

Nobilis T. de T. qui in hac causa prius fuit Inctus, postea verò penes remedium Novi simplicis Actor, Nobilem T. de T. prius Actorem nunc verò penes præscriptum Novi Judicii simplicis remedium Inctum & convictum, penes certificationem provocat in sedriam Incltyti Comitatus T. Processus T. ad octavum (in ecclesiasticis ad Partiale Diœceseos T.) diem a die hujusmodi certificationis computando juxta leges patrias, modumque alias in similibus causis observari solitum, ratione prævia coram latius declaranda ad reddendam Repulsione rationem. Cum enim modernus Actor judicariam deliberationem præscriptæ sedriæ super negotio, luculenter ibidem declarato Anno T. die T. Mense T. in Bonis dicti T. in Possessione T. Comitatu T. existentibus ac habitis, contra præfatum modernum I. penes legitimam executionem, debito effectui mancipare voluisset. Idem T. convictus hujusmodi legitimam executionem violenta repulsione impedit, & sufflaminavit, cum damno moderni Actoris, & in legem ac judicariæ deliberationis præscriptæ sedriæ præiudicium & protestatur.

211. *Quid tandem agendum ?*

Peraçta certificatione tenebitur v. Judex Nobilium super hoc Processu litteras Relatorias ad r. qui-

quisitionem Partium concedere, penes quas modernus Actor proponet in sedria hunc in modum.

Causa continuata Nobilis T. de T. nunc Actoris prius virtute Novi iudicii simplicis Incti contra & adversus Nobilem T. de T. prius Actorem nunc verò penes idem Novum iudicium simplex Inctum & repellentem.

In moderno A. Procurator T. de T. per quem præmissa solenni protestatione primum & ante omnia petit deponi & in paratis persolvi onus Repulsionis, postea verò iudiciariæ hujus sedis deliberationem, cujus executionem, idem convictus per Repulsionem sufflaminasset in vigore relinqui, ac per legitimam executionem debitum suum finem consequi, cum refusione expensarum, ex non admissa executione causatarum.

112. *Quid hic Inctus?*

Instituitur a parte Incti legitimatio modo sequenti.

Pro moderno I. & repellente Procurator T. de T. per quem præmissa solenni protestatione deponit onus Repulsionis, & quia legales haberet Repulsionis rationes petit onus restitui. Adsignatque hic rationes, quæ si in jure fundatæ erunt, fertur pro illo sententia; nullique subjicietur pænæ. *Trip. II. Tit. LXXVI. art. XXXIII. 1729.*

213. *Quæ sunt legitime & sufficientes Repulsionis rationes?*

1. Si sententia lata sit non præmissa citatione.
2. Si executio extendatur ad bona tali Processui non inclusa.
3. Si Judex Appellatione non curata executionem in Bonis appellantis intentet. *Tripartit. II. Tit. LXXVI. art. XXXIII. 1729.*

4. Si

4. Si quis in causa non succumbens repellit executores. v. g. Si fundus exequendus jure quidem hæreditario pertineat ad convictum, sed tamen jure pignoris, actu possideas, repellere potes triumphantem, donec sibi pecunia restituatur. *Synt. Jur. Ungar. p. 503.*

114. *Quid si legales non assignaverit rationes?*

Tunc manebit in vigore Prior judiciaria deliberatio, sententia verò concipietur hoc modo.

Cum modernus Inctus & Repellens in reddenda Repulsione ratione defecisset, ideo amittit onus Repulsione, manetque in vigore hujus Sedriæ judiciaria deliberatio; quæ ut per legitimam executionem cum refusione expensarum debitum finem fortiat, jus & justitia requirit. *Varonis Idea Act. Jur. p. 218. - -*

115. *Onus Repulsione quod est?*

Repellens si legalem Repulsione non assignaverit rationem fl. *LXXII.* in duabus judici, in tertia verò, partibus, Parti adversæ contra quam repulsio facta cedentibus vincitur. *Trip. II. Tit. LXXIII. art. XXXIII. 1729.* In generali Sedria Comitatus dimidia pars oneris tabularis exigitur, i. e. fl. *XXXVI.* in Partiali Sedria hujus itidem medietas, id est fl. *XVIII.*

Quilibet repellens seorsivè five divisim convicti fuerint, Bonaque non communia sed privativè cujusvis extiterint. Si verò ratione ejusdem Boni communis & in massa ejusdem juris, plures simul eadem sententia convicti, simul vel divisim repulsione utantur, una illis collectivè pœna prænotata desumitur. *Trip. II. Tit. LXXVI.*

TITULUS XLI.
DE NOVO JUDICIO.

218. *Quid est Novum Judicium?*

Est Remedium Juris, quò Pars in causa succumbens, eam iterum refuscitare, & quacunque causæ suæ proficua juris ordine censerit producere potest. Seu. Est remedium juridicum, quò Pars in causa succumbens, iterum eam refuscitare, ac omnia allegare, excipere, non productas litteras producere, & generaliter omnia, quæ juris & justitiæ, nec non defensionis causæ suæ proficua esse cognoverit, peragere valet. *Trip II. Tit. LXXVII.*

219. *Quotuplex est Novum Judicium?*
Quadruplex

1. *Novum cum inhibitione*, quo uti potest is, qui per non venientiam convictus, nec Per se, nec Per procuratorem in judicio comparuit. Qui si sufficientes & legales non comparitionis rationes non assignaverit, sententia ex non venientia adeoque ex culpabili contumacia lata, executioni mancipabitur. De hoc actum superius *Tit. XXXVIII.*

2. *Novum cum Gratia.*

3. *Novum cedendo Appellationi*, quo utitur ille qui causam appellavit, dein appellationi cessit. *Kitt. VIII. Q. 18.* Duplici tempore usum hujus Novi in causarum Processu esse.

(a) Quando succumbens causam appellat, & mox appellationi cedens adhuc in Partibus pro Novo judicio mandatum impetrat.

K

(b) Quan-

(b) Quando interpositæ appellationi non statim cedit, sed Processum, seu litteras transmissivales extrahit, & nisi per Partem triumphantem urgeatur; vel ex Paribus ejusdem in Foro appellationis proclametur, ad lucrandum tempus tacet, neque ipsam causam revideri facit. Si verò Pars triumphans revisionem causæ urserit, tunc demum pars succumbens & appellans allegat se nondum *Novo judicio* in illa causa utum fuisse. Quo factò si juri ita videbitur conceditur ei *Novum*, quo cedendo appellationi uti incipit. a)

4. *Novum simplex.*

220. *Quare hoc Novum appellatur simplex?*

Quia nec cum inhibitione, nec cum gratia, nec cedendo appellationi fit, sed simpliciter ex novis actis expectatur *Novum judicium*.

221. *Quæ sunt de novo judicio simplici tenenda?*

1. Quod usus *Novi Judicii* est in causis, in quibus utraque pars comparuit, causaque post Partium disputationem finaliter conclusa fuit, & una Partium segravatum sentiens coram eadem sede inferiore protestatur, de Remedio simplicis *Novi* ante appellationem causæ. *Appr. Const. P. IV. Tit. 1. art. 20. 21. 22.*

2. Uti quæcunque species *Novi*, in eadem causa cuivis Parti succumbenti semel concedi potest, gratia comune est omnibus *Novi* speciebus, ut ejus virtute

(a) *Synt. J. U. p. 424. Tyr. ad 11. Tit. LXXVII. §. 8. p. 468.*

virtute Novizans suum errorem possit corrigere. At non sufficit priores allegationes recapitulare, sed novæ allegationes, responsiones, nova documenta debent adduci. *Trip. II. Tit. LXXVII. Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 21.*

3. In causis in sedria inferiori motis Novum Judicium locum habet ante Transmissionem exhibitam, nam Transmissioni extradatæ nihil adherere potest. *Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 20. 22.*

4. Novum judicium in causâ non succumbens non potest impetrare, vivente eo qui succumbit, neque ejus successores. At eo fati cedente, in quem prosecutio causæ Regni consuetudine descendit, habebit facultatem Novum impetrandi. *Trip. II. Tit. LXXVIII. Husfi Lib. I. Tit. LXV.*

5. *Novum simplex*, pro Foro ecclesiastico impetratur a Superintendente, dirigiturque ad Judicem primæ instantiæ, id est, qui Judex fuit in inferiore sede: qui si interea mutasset officium ad successorem solet dirigi. Si verò lis inchoata sit in Synodo Provinciali, tunc Novum dirigitur ad Seniores Diœcesium qui Judices fuerunt in ea causâ.

6. Novizans a die latæ sententiæ intra quindenam per Judicem aut Notarium sedriæ in dorso litterarum *Novi simplicis* exhibitam scribi curabit.

7. Intra sexaginta dies verò a die dati Novi Judicii computando, penes Novum certificari curabit partem adversam ad sedem eandem, pro octavo die, vel primo Judicii termino a die hujus certificationis.

8. Minister certificationis juxta suam instructionem dabit Partibus in forma solenni emanatas litteras

ras Relatorias, quæ usui sint imprimis ad futuro termino.

9. Tempore Novi Judicii fiat nova constitutio Procuratoris.

10. Quamvis Novizans juxta *Trip. II. T. LXXVII. Appr. Const. P. IV. Tit. I. art. 21.* ita paratus esse debeat, ut unico tantum juridico termino & ante omnes causas ejus causa levare & finire possit; in Foro tamen ecclesiastico ad colligenda testimonia ambæ Partes exmittuntur ad diem 15. nisi Partes ambæ ex consensu breviorum terminum postulaverint.

11. Novum impetrans & non persequens in calumnia vincitur.

12. Novum in civilibus impetratur a Protonotario & locis authenticis. Juxta tamen *Art. XXXIII. 1723. Simpliciter Novo judicio* uti volentes sine omni Mandato & duntaxat penes novam Actionem causam suam resuscitare valent.

Novizans penes Remedium Novi Judicii simplicis certificari curabit Partem in judicio victricem modo sequenti.

INSTRUCTIO.

Nobilis T. de T. in causa præsentis antea Inctus, nunc verò penes Remedium Novi Judicii simplicis Actor. Nobilem T. de T. prius Actorem nunc verò penes præattactum Novi Judicii Simplicis remedium Inctum, virtute litterarum venerandi Superintendentis Novi Judicii Simplicis certificari curat, juxta brevem judiciorum processum alias in similibus causis observari solitum, ratione prævia coram latius declaranda, ad octavum diem, a die hujusmodi certificationis computando in Synodum Par-

tialem

